Desid. Erasmi Roterodami,

DE NOVO EVANGELIO, NOVISQVE EVANGELISTIS IVDICIVM.

Nunc primùm in lucem editum.

STVDIO

JACOBI GRETSERI,
SOCIETATIS IESV.


ACCESSIT

ALIVD SIMILIS ARGVMENTI,
EX LIBRO GEORGII VVICELII,
QVI *RETECTIO* LVTHERISMI
inscribitur.



Cum gratia & priuilegio Cæsar. Maiest.

INGOLSTADII,
Ex Typographeio ADAMI SARTORII.
ANNO DOMINI M. DC. XI.



AD LECTOREM.

NVLLA in re disertiores sunt nostræ ætatis Nouatores Lutherani, Zuuingliani, Caluiniani, quàm cum de Catholicorum mala vita, & professioni dissentaneis moribus disserunt. Hic, magna oris volubilitate, fanda infanda, facta & infecta in Romanos Pontifices, Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, in Romam & Curiam Romanam; inq; Monasteria, & Deo dicatorum hominum collegia ac Domicilia euomunt; quos vt secũ habitare, & sua domestica vlcera curare docerem; hoc Syntagmation ex Erasmo & Georgio VVicelio confeci. Quorum vterque Sectarios longo vsu & conuictu adprobè nouerãt, quippe eorum in prouinciis versati; & quo spiritu tam factionis Antesignani, quàm gregarij ex vulgo

Facundia Nouatorum in vitiis Catholicorum exaggerandis.

Cur hæc lucubratiuncula conscripta.

Erasmus, Basilea nõ tantùm vixit, sed & deuixit.

Vicelius Lutheri familiaris fuit; imò & Lutheranus Prædicans, sed pedem retulit.

agitarentur, coramque propriis oculis intuebantur.

Impudentia sectariorum.

In aliorum vitiis peruidendis lynces sunt, in suis cognoscendis, talpæ.

Discrimē malorum orthodoxorum, & malorum heterodoxorum.

Mirabilis sanè est Nouatorum impudentia & effrenis prorsus licentia, quando suorum scelerum immemores, tam securè & satyricè in Orthodoxorum flagitiis exaggerandis occupantur, cum, qui apud Catholicos sceleratam vitam ducunt; non doctrinæ, sed suo vitio ita vitam instituant: Nouatores verò ex ipso professionis & institutionis suæ indole & genio, ad omnia flagitiorum genera propendeant, & in ea itidem fermè absque retinaculo ruant; adeo vt si quid probitatis aliquibus superest, id non sectæ, quam sequuntur; sed insitæ à natura ingenuitati, & ante omnia singulari numinis diuini protectioni in acceptis referre debeant. Ipsi profectò sectæ hoc non debent; cuius, vtpote vitiosæ & sceleratæ, non est aliud, nisi ad vitia & scelera inclinare; & inclinatam iam mentem, detrudere ac præcipitare. Quo factum, vt simul ac hoc Quintum Euangelium exstitit, & in mundum, irato cælo, introductum est, vberrimam nequitiæ & improbitatis messem vbique

metere

metere licuerit, prout Erasmus & VVicelius nobis testatum faciunt; vt taceam alios innumeros, etiam ex hæreticorum castris; & quotidianam vniuscuiusque, qui inter sectarios vitam degimus, experientiam.

Quo vnico Argumẽto euidentissimè liquet, id quod Lutherus, Zuuinglius, Caluinus, similes annunciant, nõ esse Euangelium Christi, sed fraudem & sutelam Diaboli. Nam Euangelium Christi ex impuris faciebat puros, ex porcis agnos; ex efferatis, mansuetos, ex maledicis, benedicos, ex incertis castos, ex rapacibus & auaris, liberales ac munificos. Quid Euangelium Quintum? Omnia in contrarium transformat. Qui prius casti, nunc incesti. Prius mundi, nunc immundi. Prius mites; nunc iracundi. Prius ouiculæ; nunc lupi, & si quid lupo truculentius.

Perspicua nota, qua cognoscitur Lutheri, Zuuinglij, &c. non esse Euangelium Christi.

Euangelium Christi ex improbis faciebat probos, &c.

Euangelium nouum è contra; ex probis improbos.

De nouo Cantore, qui Deo, iuxta Prophetæ monitum Canticum *nouum cecinit, hoc est, de Christo, Redemptore nostro, mira scribit Clemens Alexandrinus quomodo Cantico suo, hoc est, doctrina & institutione sua, homines à vitiis*

Christus Cantor nouus.

Euangelium eius, Canticum nouum.

Clem. init. Protreptici ad Græcos.

 tiis

tiis ad virtutes traduxerit, et feliciſsima metamorphoſi ex improbis, probos; & ex impiis pios effecerit, & ex ipſis etiam lapidibus filios Abrahæ procrearit. Solus ex iis, qui vnquã fuerunt, difficillimas feras, homines manſuefecit (*Chriſtus, Euãgelio ſuo*) Volucres quidẽ, eos, qui ex ipſis ſunt leues: ſerpẽtes verò, eos qui deceptores: & leones, eos qui ſunt animoſi & ad iram cõcitati: ſues aũt, eos qui ſunt voluptati diditi: lupos autẽ, eos qui ſunt rapaces: lapides autem & ligna, ſunt inſipientes. Præterea autẽ lapidibus eſt minus ſentiens, qui eſt tinctus ignorantia. Teſtis nobis accedat vox Prophetica, veritati concinens, quæ miſeretur eorũ, qui ſunt contriti in ignorãtia & amentia. Potens eſt enim Deus ex his lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ: qui miſeratus multam inſcitiam & cordis duritiem eorum, qui lapiduerũt aduerſus veritatem, excitauit ſemen pietatis in Deum, virtutem ſentiens ex lapidibus illis, nempe Gentibus, quæ crediderunt lapidibus. Rurſus autem quoſdam virulentos, impoſtoreſque ac ſimula-

Chriſtus volucres, ſerpentes, leones, ſues, lupos, quin & lapides, mutauit in homines.

Matth. 3.

mula-

mulatores, iuſtitiæ inſidiantes, appellauit
genimina viperarũ. Sed horum quoq; ſer- *Luc.3.*
pentum, ſi quis pœnitentia ductus fuerit,
Verbum lubens ac ſua ſponte ſequens, ho-
mo Dei efficitur. Alios autem allegoricè di- *Matth.7.*
cit lupos pellibus ouium indutos, eos in-
nuens, qui in forma hominum ſunt rapaces.

Has ergò omnes immaniſſimas feras, &
tales lapides, ipſe cæleſtis cantus in manſue-
tos homines transformauit. Eramus enim, *Ad Tit.3.*
eramus nos quoque aliquando inſipientes,
inobedientes, errantes, ſeruientes volupta-
tibus variis, in malitia & inuidia degentes,
odibiles, nos inuicem odio habentes, vt ait
ſcriptura Apoſtolica. Quando autem beni- *Ad Tit.2.*
gnitas & humanitas apparuit ſeruatoris
noſtri, nõ ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus
nos, ſed ſecũdum miſericordiam ſaluos nos
fecit. Vide, quantum potuerit nouum Can-
ticum; homines ex lapidibus, & homines
fecit ex feris. Hi autem qui planè erant vt
mortui, qui eius, quæ verè eſt vita, non erant
participes, poſtquam Cantici ſolùm fuerũt
auditores, reuixerunt. *Hæc*

Hæc & idgenus alia, & quidem verißimè, Clemens, de vi & efficacitate Euangelij à Christo eiusque Apostolis annunciati. Num simile quid de Lutheri, Zuinglij & aliorum Euangelio pronunciare possumus? Id te docebit Erasmus cum Wicelio: tametsi non nego huic quoq; inesse suam transformandi vim & energiam: quia ex hominibus facit lapides, sensus omnis & pietatis expertes; facit sues, quibus corporis voluptas est anima & ipsa beatitudo. Facit Lupos truculentos, ad rapinam & cædem auidos. Facit vulpes, fallere & circumuenire doctos. Facit leones, vindicta appetentes. Vno verbo, via Euãgelio Christi contraria in transmutationibus suis procedit. Quocirca non nisi ab illo, qui Christo in omnibus suis consiliis & actionibus contrarius est, originem ducit.

Qualis transmutandi vis Quinto Euangelio insit.

Pro perspicuo diuinitatis signo reputat, nec immeritò, Eusebius lib. 1. de præparatione Euãgelica cap. 3. quod nato Christo, eiusq; Euangelio prædicari & propagari cœpto, bella conquieuerunt, altißima pace terras tenente; omniumque animos amabili concordia mutuò copulante,

Christi Euangelio in orbem illato summa pax exorta est.

lante. Simul atque piiſſima & pacifica Saluatoris noſtri doctrina apparuit, *refero Euſebij verba*, multorum cultus Deorum labebatur, bella ceſſabant, vniuerſum hominũ genus à magnis malis atq; periculis requieſcebat. Quod maximum ego diuinæ ac ineffabilis ſuæ virtutis ſignum dicere non dubitauerim. *Si hæc eſt nota Euangelij diuini; planum apertumque relinquitur, nec Lutheri, nec Zuuinglij, nec Caluini Euangelium diuinum eſſe; quia non pacem, ſed gladium mundo intulit & attulit. Quamprimum Lutherus in medium progreſſus, lolij ſui ſementem fecit; Germania tumultuari, & Principes aduerſus Principes; Reſpublicæ contra Reſpublicas inſurgere inſtiterunt, donec tandem eò vſq; proceſſum eſt, vt ſupremo ſuo Capiti, ipſi Auguſtiſſimo Imperatori Carolo V. bellum inferret, eumque ex vniuerſis Imperij finibus exterminare tentarent: neque tamen tunc inquieto huic & Mauortio Euangelio ita ex manibus arma ſunt excuſſa; vt ea poſteris annis ſubinde non reſumeret; vbi aliqua ſpes emolumẽti nanciſcendi*

Lutheri Euãgelium turbauit totam Germaniam.

Bellum ruſticorum.

Bella Principum Imperij contra Principes; vt Haſſi contra Ducem Brunſuicẽſem.

Bellum Smalchaldicum.

Teſtes bella Mauricij, Alberti Brandeburgici, Colonienſe, Argentoratenſe.

Euangelium Zuinglij turbauit totam Heluetiam.

affulgebat. An non Zuuinglianum Euangelium arctißimum illum confœderatorum nexum, non diu post sua primordia, ita dissoluit; vt ad arma ciuilia cum exitio ipsius Hæresiarchæ descensum fuerit? Quid de Caluini Euangelio verba faciam? Quod Galliam propemodum pessundedit; Et Belgium, quadraginta annos miserandum in modum attriuit? Si bella ciere, Martemq; accendere cantu, est Euangelij Christi proprietas, non pax, sed horrida bella ad eius promulgationem exorta fuissent: Neq; vates cecinissent: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, nec eleuabit gens in gentem gladium; nec exercebuntur vltra ad prælium : *sed potius: Orietur in diebus eius abundantia bellorum & contentionum. & vomeres suos conflabunt in gladios & falces in lanceas: & eleuabit gens contra gentem, & ciues contra ciues gladium; & frequenter exercebuntur ad prælium, vt bellare discant: ne si militaris rei expertes fuerint, ab aduersariis suis opprimantur.*

Euangelium Caluini incendit Galliam, Belgium, Scotiam, &c.


Prophetia de Euãgelio Christi, falsa essent, si Lutheri, Zuuinglij, &c. Euangelium esset verum & diuinum.

Deinde

Deinde ex promulgatione & propagatione Euangelij Christi exstiterunt in Ecclesia Dei duo viuendi modi, *vt ait Eusebius lib. 1. de Demonstrat. Euang. cap. 8.* Alter quidem naturam nostram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, totus autem prorsus à communi & consueta cunctorum hominum vita abhorrens, & soli diuino cultui, ex immenso rerum cælestium amore addictus; qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita seiuncti, ipsumque duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò atque animo in ipso cælo degentes, quasi quidam cælites reliquorum hominum vitam despiciunt; quippe qui pro vniuerso genere, supremo omniũ Deo sacrati sint, idque non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore vllo, neque fumo, aut ignis deuoratione, consumptioneque corporum, sed rectis veræ pietatis sententiis, & purgati ani-

Duo vitæ instituta exstiterunt ex Euangelio Christi.

Alterum, cælibem vitam ducentium, soliq; Deo & diuinis rebus vacantium.



AD LECTOREM.

Facundia Nouatorum in vitiis Catholicorum exaggerandis.

NVLLA in re disertiores sunt nostræ ætatis Nouatores Lutherani, Zuuingliani, Caluiniani, quàm cum de Catholicorum mala vita, & professioni dissentaneis moribus disserunt. Hic, magna oris volubilitate, fanda infanda, facta & infecta in Romanos Pontifices, Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, in Romam & Curiam Romanam; inq; Monasteria, & Deo dicatorum hominum collegia ac Domicilia euomunt; quos vt secū habitare, & sua domestica vlcera curare docerem; hoc Syntagmation ex Erasmo & Georgio VVicelio confeci. Quorum vterque Sectarios longo vsu & conuictu adprobè nouerăt, quippe eorum in prouinciis versati; & quo spiritu tam factionis Antesignani, quàm gregarij ex vulgo

Cur hæc lucubratiuncula conscripta.

Erasmus, Basilea nō tantum vixit, sed & deuixit.

Vicelius Lutheri familiaris fuit; imò & Lutheranus Prædicans, sed pedem retulit.

 agita-

agitarentur, coramque propriis oculis intuebantur.

Mirabilis sanè est Nouatorum impudentia & effrenis prorsus licentia, quando suorum scelerum immemores, tam securè & satyricè in Orthodoxorum flagitiis exaggerandis occupantur, cum, qui apud Catholicos sceleratam vitam ducunt; non doctrinæ, sed suo vitio ita vitam instituant: Nouatores verò ex ipso professionis & institutionis suæ indole & genio, ad omnia flagitiorum genera propendeant, & in ea itidem fermè absque retinaculo ruant; adeo vt si quid probitatis aliquibus superest, id non sectæ, quam sequuntur; sed insitæ à natura ingenuitati, & ante omnia singulari numinis diuini protectioni in acceptis referre debeant. Ipsi profectò sectæ hoc non debent; cuius, vtpote vitiosæ & sceleratæ, non est aliud, nisi ad vitia & scelera inclinare; & inclinatam iam mentem, detrudere ac præcipitare. Quo factum, vt simul ac hoc Quintum Euangelium exstitit, & in mundum, irato cælo, introductum est, vberrimam nequitiæ & improbitatis messem vbique metere

Impudentia sectariorum.

In aliorum vitiis peruidendis lynces sunt, in suis cognoscendis, talpæ.

Discrimē malorum orthodoxorum, & malorum heterodoxorum.

metere licuerit, prout Erasmus & VVicelius nobis testatum faciunt; vt taceam alios innumeros, etiam ex hæreticorum castris; & quotidianam vniuscuiusque, qui inter sectariis vitam degimus, experientiam.

Quo vnico Argumẽto euidentißimè liquet, id quod Lutherus, Zuuinglius, Caluinus, similes annunciant, nõ esse Euangelium Christi, sed fraudem & sutelam Diaboli. Nam Euangelium Christi ex impuris faciebat puros, ex porcis agnos; ex efferatis, mansuetos, ex maledicis, benedicos, ex incertis castos, ex rapacibus & auaris, liberales ac munificos. Quid Euangelium Quintum? Omnia in contrarium transformat. Qui prius casti, nunc incesti. Prius mundi, nunc immundi. Prius mites, nunc iracundi. Prius ouiculæ, nunc lupi, & si quid lupo truculentius.

Perspicua nota, qua cognoscitur Lutheri, Zuuinglij, &c. non esse Euangelium Christi.

Euangelium Christi ex improbis faciebat probos, &c.

Euangelium nouum è contra; ex probis improbos.

De nouo Cantore, qui Deo, iuxta Prophetæ monitum Canticum *nouum cecinit, hoc est, de Christo, Redemptore nostro, mira scribit Clemens Alexandrinus quomodo Cantico suo, hoc est, doctrina & institutione sua, homines à vi-*

Christus Cantor nouus.

Euangelium eius, Canticum nouum.

Clem. init. Protreptici ad Græcos.

tiis ad virtutes traduxerit, et feliciſsima metamorphoſi ex improbis, probos; & ex impiis pios effecerit, & ex ipſis etiam lapidibus filios Abrahæ procrearit. Solus ex iis, qui vnquã fuerunt, difficillimas feras, homines manſueſecit (*Chriſtus, Euãgelio ſuo*) Volucres quidẽ, eos, qui ex ipſis ſunt leues: ſerpẽtes verò, eos qui deceptores: & leones, eos qui ſunt animoſi & ad iram cõcitati: ſues aũt, eos qui ſunt voluptati dediti: lupos autẽ, eos qui ſunt rapaces: lapides autem & ligna, ſunt inſipientes. Præterea autẽ lapidibus eſt minus ſentiens, qui eſt tinctus ignorantia. Teſtis nobis accedat vox Prophetica, veritati concinens, quæ miſeretur eorũ, qui ſunt contriti in ignorãtia & amentia. Potens eſt enim Deus ex his lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ: qui miſeratus multam inſcitiam & cordis duritiem eorum, qui lapiduerũt aduerſus veritatem, excitauit ſemen pietatis in Deum, virtutem ſentiens ex lapidibus illis, nempe Gentibus, quæ crediderunt lapidibus. Rurſus autem quoſdam virulentos, impoſtoreſque ac ſimula-

Chriſtus volucres, ſerpentes, leones, ſues, lupos, quin & lapides, mutauit in homines.

Matth. 3.

mulatores, iuſtitiæ inſidiantes, appellauit genimina viperarū. Sed horum quoq; ſerpentum, ſi quis pœnitentia ductus fuerit, Verbum lubens ac ſua ſponte ſequens, homo Dei efficitur. Alios autem allegoricè dicit lupos pellibus ouium indutos, eos innuens, qui in forma hominum ſunt rapaces. *Luc.3.* *Matth.7.*

Has ergò omnes immaniſſimas feras, & tales lapides, ipſe cæleſtis cantus in manſuetos homines transformauit. Eramus enim, eramus nos quoque aliquando inſipientes, inobedientes, errantes, ſeruientes voluptatibus variis, in malitia & inuidia degentes, odibiles, nos inuicem odio habentes, vt ait ſcriptura Apoſtolica. Quando autem benignitas & humanitas apparuit ſeruatoris noſtri, nō ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecūdum miſericordiam ſaluos nos fecit. Vide, quantum potuerit nouum Canticum; homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris. Hi autem qui planè erant vt mortui, qui eius, quæ verè eſt vita, non erant participes, poſtquam Cantici ſolùm fuerūt auditores, reuixerunt. *Ad Tit.3.* *Ad Tit.2.*

Hæc & idgenus alia, & quidem verißimè, Clemens, de vi & efficacitate Euangelij à Christo eiusque Apostolis annunciati. Num simile quid de Lutheri, Zuinglij & aliorum Euangelio pronunciare possumus? Id te docebit Erasmus cum Wicelio: tametsi non nego huic quoq; inesse suam transformandi vim & energiam: quia ex hominibus facit lapides, sensus omnis & pietatis expertes; facit sues, quibus corporis voluptas est anima & ipsa beatitudo. Facit Lupos truculentos, ad rapinam & cædem auidos. Facit vulpes, fallere & circumuenire doctos. Facit leones, vindicta appetentes. Vno verbo, via Euãgelio Christi contraria in transmutationibus suis procedit. Quocirca non nisi ab illo, qui Christo in omnibus suis consiliis & actionibus contrarius est, originem ducit.

Qualis transmutandi vis Quinto Euangelio insit.

Pro perspicuo diuinitatis signo reputat, nec immeritò, Eusebius lib. 1. de præparatione Euãgelica cap. 3. quod nato Christo, eiusq; Euangelio prædicari & propagari cœpto, bella conquieuerunt, altißima pace terras tenente; omniumque animos amabili concordia mutuò copulante,

Christi Euangelio in orbem illato summa pax exorta est.

lante. Simul atque piissima & pacifica Saluatoris nostri doctrina apparuit, *refero Eusebij verba*, multorum cultus Deorum labebatur, bella cessabant, vniuersum hominũ genus à magnis malis atq; periculis requiescebat. Quod maximum ego diuinæ ac ineffabilis suæ virtutis signum dicere non dubitauerim. *Si hæc est nota Euangelij diuini; planum apertumque relinquitur, nec Lutheri, nec Zuinglij, nec Caluini Euangelium diuinum esse; quia non pacem, sed gladium mundo intulit & attulit. Quamprimum Lutherus in medium progressus, lolij sui sementem fecit; Germania tumultuari, & Principes aduersus Principes; Respublicæ contra Respublicas insurgere instituerunt, donec tandem eò vsq; processum est, vt supremo suo Capiti, ipsi Augustissimo Imperatori Carolo V. bellum inferret, eumque ex vniuersis Imperij finibus exterminare tentarent: neque tamen tunc inquieto huic & Mauortio Euangelio ita ex manibus arma sunt excussa; vt ea posteris annis subinde non resumeret; vbi aliqua spes emolumẽti nanciscendi*

Lutheri Euãgelium turbauit totam Germaniam.

Bellum rusticorum.

Bella Principum Imperij contra Principes; vt Hassi contra Ducem Brunsuicẽsem.

Bellum Smalchaldicum.

Testes bella Mauricij, Alberti Brandeburgici, Coloniense, Argentoratense.

Euangelium Zuuinglij turbauit totam Heluetiam.

affulgebat. An non Zuuinglianum Euangelium arctissimum illum confœderatorum nexum, non diu post sua primordia, ita dissoluit; vt ad arma ciuilia cum exitio ipsius Hæresiarchæ descensum fuerit? Quid de Caluini Euangelio verba faciam? Quod Galliam propemodum pessundedit; Et Belgium, quadraginta annos miserandum in modum attriuit? Si bella ciere, Martemq; accendere cantu, est Euangelij Christi proprietas, non pax, sed horrida bella ad eius promulgationem exorta fuissent: Neq; vates cecinissent: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, nec eleuabit gens in gentem gladium; nec exercebuntur vltra ad prælium : *sed potius: Orietur in diebus eius abundantia bellorum & contentionum. & vomeres suos conflabunt in gladios & falces in lanceas: & eleuabit gens contra gentem, & ciues contra ciues gladium; & frequenter exercebuntur ad prælium, vt bellare discant: ne si militaris rei expertes fuerint, ab aduersariis suis opprimantur.*

Euangelium Caluini incendit Galliam, Belgium, Scotiam, &c.

Prophetia de Euãgelio Christi, falsa essent, si Lutheri, Zuuinglij, &c. Euangelium esset verum & diuinum.

Deinde

Deinde ex promulgatione & propagatione Euangelij Christi exstiterunt in Ecclesia Dei duo viuendi modi, *vt ait Eusebius lib. 1. de Demonstrat. Euang. cap. 8.* Alter quidem naturam nostram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, totus autem prorsus à communi & consueta cunctorum hominum vita abhorrens, & soli diuino cultui, ex immenso rerum cælestium amore addictus; qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita seiuncti, ipsúmque duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò atque animo in ipso cælo degentes, quasi quidam cælites reliquorum hominum vitam despiciunt; quippe qui pro vniuerso genere, supremo omniũ Deo sacrati sint, idque non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore vllo, neque fumo, aut ignis deuoratione, consumptioneque corporum, sed rectis veræ pietatis sententiis, & purgati animi

Duo vitæ instituta exstiterunt ex Euangelio Christi.

Alterum, cælibem vitam ducentium, soliq; Deo & diuinis rebus vacantium.

mi affectione, ad hæc operibus quoque ac verbis, quæ à virtute proficiſcantur, quibus rebus diuinitatem ipſam placantes, ſuum & pro ſeipſis & pro aliis, qui eiuſdem ſint generis, adminiſtrant ſacerdotium. Et talis quidem exſiſtit in Chriſtianiſmo perfectus vitæ modus.

Alter viuendi modus eorum, qui in matrimonio viuunt, curisq; rerum temporalium implicantur.

Alter verò remiſſior atque humanior; hic & modeſto coniugio & ſobolis procuratione implicatur, & rei familiaris curam aſſumit, & iuſtè militantibus, quæ ſint agenda, deſcribit: agros quoque & mercaturam, aliumq; magis ciuilem viuendi morem, adiuncta religione, non negligit; iis autem, qui hunc modum elegerunt, & exercitationum tempora: & his quidem ſecundus pietatis attributus eſt gradus, dum aptam huic ipſi generi vitæ præbet vtilitatem, vt nullus planè ab aduentu ſalutari ſeparetur, ſed omne genus hominum tam Barbarorum, quàm Græcorum, Euangelicæ doctrinæ fructum percipiat.

De

De hoc posteriore viuendi modo silebo. De priore loquar. Si Lutheri, Zuuinglij & Caluini Euangelium est Euangelium Christi; cur caret priore viuendi modo? Et quid dico, caret? *Cur hanc viuendi rationem oppugnat, & penitus, vbicunque potest, eliminat? Olim Euangelium Christi non annunciabatur, nisi ab illis, qui perfectiorem illam viuendi normam profitebantur. At nouum hoc Euangelium non est introductum nisi ab illis, qui flagitiosè à primo illo viuendi instituto desciuerant; à Monachis inquam, & sacerdotibus ordinis & professionis suæ nefariis desertoribus: quorum prima cura est* census & vxor, *quique nec in ore, nec in corde, nec in labiis, nec in lumbis castitatem habent.*

Cælibem vitam & ab vxorio iugo rebusque huius mundi liberam, Sectarij nostri penitus exterminarunt.

Prædicatoribus Euangelij Christi, vt melioribus studiis vacent liberius, *inquit Eusebius lib. cit. cap. 9.* seiunctus à re vxoria victus adamatur, velut ij iis, qui diuina & incorporea sobole propaganda occupati teneantur, & non vnius, neque duorum liberorum, sed aceruatim innumerabilis multitudinis edu-


Prædicatores Euãgelij Christi sunt cælibes.

 catio-

Lutherani & Zuuingliani Euangelij præcotum demum maximè aptus censetur, si sit Vxoratus; & numerosa prole instructus.

cationem sanctamque disciplinam ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint. *An tales sint noui Euangelij præcones apertè intelliges ex hoc commentariolo, præsertim ex cap. 3.*


Finiam, vbi tibi prius contra venenum frequentißimè à prædicantibus spargi solitum, medicinam porrexero.



ANTIDOTVM CONTRA VOCIFERATIONES PRÆDICANTIVM IN MALAM VITAM SACERDOTVM ac Monachorum.

Ex epist. Erasmi ad Fratres Inferioris Germaniæ.

Mortiferum hamum tegunt Sectarij insectatione Ecclesiasticorum.



Biicitur mala vita Sacerdotum, exaggeratur Pontificia tyrãnis, attollitur monachorum phalarismus, promittitur libertas spiritus; hæc esca est, sed sub ea videte, ne lateat vncus chalybs mortem allaturus. Quid autem stultius, quàm sic odisse sacerdotes, aut monachos improbos, vt ipse te reddas illis deteriorem,


nec

nec illos tamen reddas meliores ? Nullum enim est vitium hæresi aut schismate deterius. Congerantur in vnum sacerdotem, luxus, libido, ambitio, auaritiâ, & si quid præterea criminum est, totam hanc vitiorum lernam, vna superat hæresis. Nunquam tam bene fuit actum cum rebus mortalium, vt non multum fuerit querelarum, tum de Sacerdotum ac Principum, tum de populi moribus. Aliis temporibus alia vitia magis regnarunt, nullo tempore non fuerunt. Ita indignemur sacerdotibus, vt & illos & nos homines esse meminerimus.

Nullũ vitium hæresi aut schismate deterius.

Hæreticus ergo longè peior est, quam omnes illi, quorum vitia incessit.






INDEX CAPITVM.



Desid.



Desid. Erasmi Roterodami,

DE NOVO EVANGELIO, EIVSQVE EVANGELISTIS ET SECTATORIBVS

IVDICIVM,

Nunc primò in lucem editum.

CAPVT PRIMVM.

Euangelio nouo nemo efficitur melior.



RASMVS *Epist. in Pseudoeuangelicos Tom. 9. Edit Basileensis 1540.* Vos (*Prædicantes*) strenuè clamatis in luxum sacerdotum, in ambitionem Episcoporum, in tyrannidem Romani Pontificis, in garrulitatem Sophistarũ, in preces, ieiunia & missas: nec ista purgari vultis sed tolli, nec omnino quidquam in receptis placet, sed zizaniam euellitis cum tritico, aut vt melius dicam, triticum euellitis pro zizania. At quid interim nobis profertis melius, & Euangelio dignius, vt ab assuetis recedamus?

Circumspice populum istum Euangelicum, & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quam faciunt ij, quos detestamini. Profer mihi quem *Graphica populi Neoeuangelici descriptio.*

Euangelium nouum non mutat mores improbos in probos.

quem istud Euangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum? Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.

Contra potius probos in improbos.

i Demolitio maginum cõspirationis tessera.

Excussæ sunt è templis statuæ; sed quid refert, si nihilo secius in animo colantur idola vitiorum? Nec video quo consilio quidam tanto studio demoliti sint imagines, nisi vt esset conspirationis symbolum. Interim obtenditur horrendum idololatriæ crimen, &c.

Plurimi ex nouis Euangelicis nihil penitus orant.

Quomodo Neoeuangelici ex concione redeant.

Martem spirant.

Ciuilitas Neoeuangelicorum.

Excussæ sunt preces solennes, sed iam plurimi sunt, qui nihil prorsus orant, cùm frequens puraq; oratio sit sacrificium maximè proprium Christianis. Abrogata est missa, sed quid illi successit sacratius? Non enim iam confero ritus cum ritibus, inductos cum relictis. Nunquam illorũ Ecclesias sum ingressus, sed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam, ac ferociam miram præseferentibus: neq; quisquam erat omnium, qui mihi viris aliquot honestis comitato deferret honorem, quem exhibemus quibuslibet, præter vnum seniculum. Sic opinor discedunt milites à concione Ducis ad prælium, & ad θύριον ἄλκιν exhortati. Quis vnquam vidit in illorum concionibus, quenquam pro peccatis suis fundentem lacrymas, tundentẽ pectus, aut ingemiscentem?

Prædicantes neminem concionibus suis ad lacrymas commouent.

In qua materia suas conciones potissimum insumãt.

Multi ex Nouatoribus ne Deo quidẽ confitentur.

Ventri grauiter indulgent.

Iam quanta pars ibi consumitur in laceranda sacerdotum vita, ac si verum narrant, frequenter in iis sermonibus, qui magis faciunt ad seditiones, quam ad pietatem. Abrogata est confessio, sed interim ne Deo quidem confitentur plurimi. Abiectus est cum ieiuniis ciborum delectus, sed interim grauiter indulgetur crapulæ: & ita quidam effugerunt Iudaismum, vt cœperint esse Epicurei. Protritæ sunt ceremoniæ, sed nihil accessit

cessit

cessit spiritui, imò multum discessit; meo quidem iudicio.

Ibidem fol. 1297. Paulus iubet tradi Satanæ eum, qui contra naturæ pudorem, nouercam duxerat vxorem, hortaturque discipulos, vt subtrahant sese à consuetudine fratris inordinatè ambulantis. Cum his verò, qui manifestis vitiis infames sunt, ne mensam quidem vult haberi communem. Nunc circumspice mihi sodalitatem istam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames? & hos quidam habent etiam in deliciis, tantum abest vt vitent. *1. Cor. 5.* *Ibidem.* *2. Thes. 3.* *Nota bene sanctitatem turba Euangelica.*

Apostoli, quò magis vacarent Euangelio, aut abstinebant ab vxoribus, quas ducere tum licebat, aut legitimè ductas vertebant in sorores. Nunc floret Euangelium, quod sacerdotes & monachi contra leges certè humanas, contra professionem suam ducunt vxores. Condonetur hoc, circumspice num castiora sint eorum coniugia, quàm aliorum, quos ducunt pro ethnicis. Agnoscis opinor, quas hîc fabulas tibi possim referre, si libeat. Neq; enim necesse est, vt notissima referam, quæ vel magistratus, vel plebes reclamante, aut conniuente magistratu publicitus designauit. *Prædicantes admodum sunt vxoris vel potius hircosi.* *Quam castè instum coniugium colant.*

Ibid. Dum neminem amant, præter sese, dum nec Deo, nec Episcopis, nec Principibus, ac magistratibus obtemperant, dum mammonæ, gulæ, ventri & inguini seruiunt, postulant haberi pro Euangelicis, &c. At qui sunt fructus Spiritus? Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. At nos in plerisq; videmus opera carnis, spiritus nullum vestigium, &c. *Virtutes Nouatorum.* *Nullum Spiritus vestigium in Neoeuangelicis.*

Paganismus sub nouo Euangelio.

Iactant liberatas conscientias Liberarũt. Vt olim Epicurus & discipulus eius Lucretius.

Nouatores fidem habent in labris.

Iam vereor ne sub isto nomine multi nobis oriantur Pagani, quo magis etiam sint liberi, si nec cœlum credant esse, nec inferos, nec animos à morte corporis superesse. Atqui interim isti iactant liberatas conscientias. Perfecta pietas habet quietam conscientiam, quam fidei semen perpetuò stimulans, non sinat esse tranquillam. Insanabile malum est, quod non sentitur. Sed vt ad rem redeam, si fidem tam habent in pectore, quam illis natat in labiis, quid est, quod sic ad callida consilia, technasq; confugiunt? &c.

Mores Nouatorum alienant Erasmum ab eorum secta.

Erasmus neminem Nouatorum vidit qui non sit factus seipso deterior.

Ibidem: Quid alijs accidat, ex me coniecturam facio, vix credas, quantoperè mores isti animum meum alienent à toto hoc negotio. Quod etiamsi quando mihi vlla ex parte probatum fuisset, his rationibus adduci possem, vt resilirem. Dices, nihil tam felix vnquam fuit in rebus humanis, quin malorum admixtu vitiaretur: ad bonos verte oculos. Fieri potest, vt mea sit infelicitas; mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non videatur seipso factus deterior. Arduum est, quod profitemini, & Apostolorum negotio durius, quemadmodum antea demonstratum est; nec vos subleuant vlla vel vaticinia, vel miracula: quod si vita quoq; non solùm non commendat doctrinam vestram, sed fidem potius abrogat, si neglecta hac commendatione, fiduciam in improborum conspiratione, in seditiosis tumultibus, in maledicis libellis, in armis, in fucis & technis reponitis, piget commemorare, quid vobis metuam, sed magis miseret me tot hominum millium, quos ea calamitas inuoluet. Apostolorum doctrinam tot res orbi commendabant, cœleste erat, ac plausibile, quod docebant. Narrabant ea, quæ viderant oculis, audierant auribus, nihil adferebant, quod non esset olim multis

Nouatores nihil habent, quod eorum vitam commendet.

In quibus Nouatores spem ponant.

Prærogatiua Apostolorum in promulgatione Euãgelij.

multis modis & figuris adumbratum, & Prophetarum oraculis prædictum. Accedebat tantus in prædicando consensus. Eadem loquebantur, quia eodem spiritu. Aderat præsentanea miraculorum vis, aderat spiritus ille igneus, qui sese moribus illorum, atque etiam vultu, oculisque promebat. Nihil vi gerebant, tantum vtebantur gladio spiritus, neminem agebant in exilium, nullius facultates inuadebant, ac ne gentium quidem idola frangebant, nisi forte precibus ad DEVM fusis. Denique non aliter loquebantur apud suos, aliud in tormentis. Adde nunc tot Martyrum mortes: Et tamen talis doctrina, tot rebus commendata, paulatim, ac sensim occupauit orbem.

Quam dissimiles Neoeuangelici Apostolis.

Vos postulatis, vt intra nouem annos mundus aspernetur, quod ante annos mille à maioribus est traditum, & in vestra dogmata pedibus eat ac manibus, nulla harum rerum, quas recensuimus, commendati: Quale est autem quod exigitis? Vt credamus Ecclesiam annis mille quadringentis caruisse Christo; sed, sponso stertente, sponsam pro DEO coluisse laruas & idola, in sacris literis enarrandis fuisse prorsus cęcam, miracula Sanctorũ nihil aliud fuisse, quàm præstigias dæmonum.

Quid Nouatores à mundo exigant & quàm inique.

Non hîc pergam collationem persequi; tu ipse conferto, simulque iudicato, *num æquum sit, quod à nobis* flagitatis, & num vestrę saluti bene consultum sit, dum ista sequimini.

Si vos offendunt vitia Christianorum, ostendite nobis Ecclesię vestræ specimen, quæ non habeat maculam, neque rugam, & amplectemur illam. Quod si nostra scelera commeruerunt iram Domini, solet ille per Pharaones, Antiochos, Cyros, & Nabuchodonosoras punire suos, non per viros Euangelicos, quales haberi vultis.

Deus peccata populi sui non punit per Euangelistas, sed per Reges & tyrannos. Itaque immerito iactãt se missos vt puniãt peccata Catholicorum.

Quid vobis polliceamini, nescio. Mihi rerum procemia, progressus, & omnia signa nihil aliud promittunt, quā calamitosum exitum, nec vobis tantū tristem; multos secum trahit ingens ruina. Qui benè coniiciet, vatem hunc existima optimum, habet prouerbium: nec fortassis est aliud certius diuinandi genus, quàm si quis ex præteritis ac præsentibus colligat futura. Euangelica pietas à minimis initiis paulatim creuit in maius, ac melius, & optimus quisq; se illi iungebat: hanc doctrinam ferè leuissimus quisq; amplectitur. Monachorum ordines * hominum inuentum est; donemus istud, sed quot egregios viros Franciscanorum, & Dominicanorum sodalitia nobis dederunt, siue spectes eruditionem, siue sanctimoniam? &c. Pudet autem referre quales sint vestri instituti primitiæ; quam non auspicata primordia.

Nouum Euangelium triste omnibus.

Ferè leuissim. quisq; nouo Euangelio se adiungit.

** Professio Monastica diuini iuris est ô Erasme. Monastici ordines egregios viros protulerunt. Quales primitia Nouatorū. Thrasonismi Neoeuangelici.*

Idem Erasmus Epist. ad fratres Germaniæ inferioris Tom. 9. fol. 1308. Mirificis præstigiis exaggerant quàm sobriè, quàm castè, quàm innocenter viuatur sub Euangelio, quæ maiore fide alieno ore prædicarentur. Quid Argentorati fiat nescio; alicubi scio nusquam fuisse maiorem luxum, plus adulteriorum, quam inter Euangelicos; sic enim appellari gaudent. Hoc nec ipsi negant Euangelici: vtinam omnes ad bonam frugem sese recipiant, vt hîc habeat vanus.

Nusquam maior luxus & plus adulteriorum quàm inter Nouatores.

Nonne Lutherus coactus est visitatores mittere, qui populum in omnem licentiam ruentem cohiberent? Nonne idem dixit, se malle pristinum Papę ac monachorum regnum, quàm hoc hominum genus, sub Euangelij prætextu in Sogdianorum vitam sese proripientium? Nonne idem suis ad me literis deplorauit Melāchthon? Nonne idem in colloquio fassus est Oecolampadius?

Fructus Lutherani Euangelij ipsi Luthero intolerabiles. Etiam Melanchthon & Oecolamp. suorum nequitiā deplorarunt. Sed quis eius

Quin

Quin & ipsi non semel in hoc libro deplorant plurimos esse perditissimè viuentes sub Euangelij titulo? *Autor per istos & similes sectarũ coriphaos*

Erasmus Epist. l. 19. ad Bucerũ. Qui abiecerunt preces horarias, nihil orant. Qui contemnunt cõstitutiones Episcoporum, nec Dei præceptis obtemperant. Qui negligunt delectum ciborum, gulæ ventriq; indulgent. *Nihil ergo orabat ipse Bucerus, quia preces horarias, exuto cucullo abiecerat.*

Epist. ad fratres Infer. Germaniæ. Sunt qui cum iudicio legant istorum libros, at ego multos noui, qui simul atque sese addixerant (*sectæ Lutheranæ vel Zvvinglianæ*) exuerint hominem. *Noua secta transmutat homines tanquam Circe.*

Ibid. Si protinus tollendum, quo plures abutuntur, istorum Euangelium esset tollendum, sub cuius vmbra tam multi perditissime viuunt. *Sub vmbra Euangelii perditissime multi viuunt.*

Ibid. Si populus Euangelicus (*vt mihi retulerunt, qui Sectæ isti nomen dedere*) fouet perditissimos nebulones, cur mihi indignantur, cùm in quibusdam desidero mores Euangelio digniores? Iidem referebant multos sic adesse concioni, vt satis præ se ferant, nihil affici iis, quæ dicuntur, sed tantùm adesse, ne videantur deesse sectæ suæ. Quod si Ecclesiastæ tanta sæuitia clamitarent in vitia suorum, quàm clamitant in vitia sacerdotum, demirabor, si tres habituri sint auditores, &c. *Nouum Euangelium fouet perditissimos nebulones.* *Quis sensus sit Nouatorum in concionibus.* *Prædicantes scalpunt auditorum suorum aures.*

Quod verò scribunt, hos esse mores Ecclesiarum ipsorum, vt sobrietatem amplectantur, quæ minimùm absit à iciunio, scio multos etiam Symmystas non sine risu lecturos. De Argentinensibus, quod crebrò repetendum est, non loquor, non noui, quid illic agatur. De his loquor, quos mihi propius nosse contigit. *Ridiculè prædicant sobrietatem suam.*

Sed Paulus Apostolus in suis, vt aiunt, Ecclesiis, tulit ebriosos, contentiosos, fraudatores, iudaizantes, &c. Fateor: sed in hos acriter inuehitur, opportunè, importunè, arguens, increpans, obsecrans, quosdam etiam tradi- *Excusant se exemplo S. Pauli.* *Sed frustra.*

tradidit Satanæ. An isti idem faciant, ipsi viderint. Mihi tale nihil vnquam auditum est. Idem Paulus vetat cibum capere cum eo, qui cum fratris, hoc est, Christiani titulo commendetur, tamen auarus sit, aut adulter, aut maledicus. Num idem isti faciunt? Sed mirum non est, si qui nuper venerant à contaminatissima vita, ab idolis, ac profundis ignorantiæ tenebris, subitò fingi ad perfectum Christianismum non possent. Verum isti vnde quæso venerunt? A Christianismo ad Euangelium, nonnulli à sacerdotio, ac monachismo.

Prædicantes non arguunt. suorum vitia

Vnde Nouatores processerint.

Si tales sunt vbiq; mores *(hoc est innocentes, & illibati vt iactant Nouatores)* quid opus erat Luthero visitatoribus, qui suos à paganismo reuocarent?

Lutherus suos à paganismo per visitatores reuocat.

Postremò sic colligunt: Si Paulus & Erasmus non damnant suas Ecclesias, cum habeant multos impuræ vitæ admistos, cur à nobis plus exigit? Imò cur ipsi suas Ecclesias damnari nolunt ob admixtos malos, & nostras damnant eâdem de causa? Quanquam aliis esset in promptu quod responderent, in Ecclesia Catholica paratam esse remissionem peccatorum, cùm in hæresi malè viuant, etiam qui benè viuunt, &c.

In hæresi malè viuunt, etiam qui benè viuunt.

Ibid. fol. 1319. Ego priuatam quorundam mansuetudinem abunde sum expertus: Noui quendam, quem plus decem annis non aliter atque filium adamaui, méque vicissim ille non secus ac parentem obseruabat, indole, quam dixisses probitati natam. Simul atq; hausit spiritum Euangelicum, præter omnem exspectationem cœpit esse bonus aleator, pernox chartarum lusor, non inelegans scortator; cœpit discinctus gestare prælongum ensem, cogitare de matrimonio. Postremò, verbulo læsus, ex tali amico, qualis esse videbatur, subito muta-

Exemplum memorabile quomodo nouum Euangelium homines transmutat.

mutatus est in viperam, vindictæ auidissimus, perinde quasi matrem ipsius ferro necassem.

Neoeuangelici impatientissimi. *Vindictam molientes.* *Exemplum gratitudinis Euangelicæ.*

Quid nunc de vulgo memorem? In quo multos noui, leuissimarum etiam iniuriarum impatientissimos, & pro quauis friuola offensa atroces vindictas molientes. E multis vnum attingam. Quidam iuuenis erat coniectus in carcerem ob non leue facinus. Adegerunt amici, vt per Oratorem Regis Angliæ, qui tum fortè aderat, impetrarem illi veniam. Factum est, dimissus est, mulcta remissa est: quo nomine, veluti pro summo beneficio coactus sum senatui gratias agere. At ille bonus vir eodem die, quo liberatus est, eorum per quos liberatus est, vino ebrius, fanda atque infanda dixit in me, districto gladio mortem etiam minitans Erasmo. Rogatus postridie, num illa dixisset ex animo, excusauit temulentiam. Euangelica purgatio. Deinde contulit se Constantiam, & apud Botzemum, quem nouerat esse mihi iunctissimum, finxit se fuisse famulum Erasmi; hac commendatione suauiter ibi tractatus est hebdomades aliquot. Inde se contulit Vuittenbergam, absoluturus Euangelium suum, &c.

Nota, Purgationem Euangelicã quæ est Feci hoc ebrius.

Aliud Euangelicæ gratitudinis Paradegma.

Alius quidam adiit me, querens de extrema egestate, & offerens obsequium suum. Nolui statim in famulitium admittere ignotum, sed datis quatuor assibus, iussi, vt postridie rediret ad me. Rediit, tradidi illi libellum, vt eum transscribendo disceret scribere, pactus cum illo duobus assibus in singulos dies: addidi præ manibus, præter quatuor ante datos, asses quatuordecim. Ille bonus vir nactus viaticum, profectus est, inscio me, Tigurum; ibi nescio, cui locauit operam suam. Vbi sex diebus nusquam apparet, iubeo perquiri, aiunt profectum. Librum meum deposuerat apud hospitem suum,

at ille abiurabat quidquam apud se relictum. Nec prius recepi codicem, donec ille literis authenticis mandasset, vt redderetur. Rediit, nec reddidit pecuniam, nec perscripsit, quod receperat, nec mihi saltem gratias egit, imò cum aliquot sodalibus præteriens, ne moto quidem pileo salutauit, &c. Huius generis centum historias proferre valeam. Quod si negant tales esse Euangelicos, mecum profectò faciunt, & ideo posui Pseudoeuangelicos. *

En fidelitatem Zuuingliani amanuensis

** Quales omnes Lutherani, ZWingliani, Caluiniani.*

Colloquia Neoeuangelicorũ, & mores.

Ibid. fol. 1321. Quos antea noueram puros, candidos & fuci ignaros, vbi se sectæ dedidissent (expertus sum) loqui cœpisse de puellis, lusisse aleam, abiecisse preces, factos ad rem attentissimos, impatientissimos omnis iniuriæ, vindices, obtrectatores, vanos, viperinis moribus, ac prorsus hominem exuisse. Quæ de luxu quorundam vulgò ferebantur, non referam. Expertus sum, si quid erat negotij, duriores esse, minusque fidos plerosque Euangelicos, quàm cæteros.

Nouatores facti hominem exuunt Transformantur in lupos cum Lycaone.

Ibid. fol. 1323. Redeuntes à templo meis oculis vidi, nec erat tanta turba, vt non liceret singulos contemplari. Nunquam sum ingressus illorum templa, ne viderer illis assentiri; & si venissem, non fuissem illis gratus, cùm scirent me diuersa sentire. Verùm ab his qui sectam illam profitebantur sæpe diligenter percunctatus sum, quid illic ageretur, nominatim, an concionante Oecolampadio vidissent aliquem illacrimantem, aut ingemiscentem pro peccatis. Negarunt, sed multos oscitantes se vidisse aiebãt, suspirantẽ, aut illacrimãtem neminẽ, &c.

Fructus concionum Neoeuangelicorũ.

Non dubito, quin multi sub hoc Euangelij pallio lateant, titulo Christiani, animo pagani. Atq; hoc plerunque videmus accidere, vt dum sedulo magis, quàm circumspectè vitamus malum aliquod, incidamus in aliud

Sub nouo Euangelio multi pagani cubant.

gra-

grauius, ac de calcaria quod dici solet, feramur in carbonariam. Quod ego metuo, iam compertum est. Nam nuper Basileæ tale portentum exusserunt.

Basilea exurirur quidam sub nouo Euangelio Atheus

Fol. 1328. Sacerdotem Basilea virgis cæsum, mox vrbe eiectum, nõ nomino. Quid refert quando desierat concionari? Istius erat professionis. Is, vt publicus ferebat rumor, & in carcere, & extra portam, cum à carnifice dimitteretur, publicè testatus est, se posteaquam se illi sectæ addixerat, in omne flagitiorum genus proruisse; quid de tota secta dixerit, non referam. Nam audita narro, sed de propinquo.

Sacerdos Apostata Basilea virgis palam à carnifice cæsus.

Cui profectum suũ in flagitiis, acceptum retulerit.

Huc refer, quod Erasmus habet in Epistola contra Pseudo-euangelicos. Antea clericos consecratio tuebatur à rigore profani iuris; nunc sacerdotes æque atq; cerdones à carnifice torquentur, cæduntur, suspenduntur, decollantur, exuruntur sine vlla regradatione.

Lucrum, quod desertores clerici fecerunt per defectionẽ ad nouas sectas

Fol. 1330. Iam nunc tales *(qui penitus nihil credant)* exoriuntur, magno piorum hominum dolore. Et qui tales sunt, sub nulla vmbra tutius latere possunt, quàm sub istorum Euangelio.

Athei ex nouo Euangelio.

Nusquam tutius latent, quàm sub quinto Euangelio.

Fol. 1331. sunt in his *(qui se Lutherana & Zvvingliana secta adiũgunt)* plериq; tenues decoctores, profugi, desertores instituti sui, nouarum rerum ac licentiæ cupidi, iuuenes, mulierculæ incogitantes, operæ mercenariæ, parum cordati, errones, milites, quidam etiam criminibus infames, per huiusmodi magna fabulæ pars initio gesta est alicubi.

Qualis sit Nouatorum turba.

Actores fabula Lutherana & Zvvingliana.

Fol. 1337. Qui se venditant Euangelij titulo, sic fermè rem gerunt, vt vel ad nequitiam, vel ad opes, vel ad anarchiam, & quidlibet audendi impunitam licentiam, spectare videantur.

Quid spectent Neoeuangelici

Deteriores fiunt, qui nouū Euangelium amplectuntur.

Eras. Epist. lib. 19. epist. ad Melanchthonem: Quosdam noui viros optimos, qui per hoc negotium facti sunt deteriores. Vt ne iam commemorem istos perditissimos, quemadmodum tu quoque vocas, quibus nihil est cum Euangelio. Tales video multos præsertim hîc, vt si probarem omnia, quæ scribit Lutherus, nollem huic factioni dare nomen. Esset illis inseruiendum, & subinde numerandum viaticū Nam hoc solum habent Euangelicum, quod semper egent plerique.

Perpetua egestas Neoeuangelicorum.

Mores Nouatorum diuersissimi à doctrina Christi. Catalogus virtutum noui Euangelij.

Ibidem; Quî possim mihi persuadere, illos agi spiritu Christi, quorum mores tantum discrepant à doctrina Christi? olim Euangelium ex ferocibus reddebat mites ex rapacibus benignos, ex turbulendis pacificos, ex maledicis benedicos; hi reddūtur furiosi, rapiunt per fraudem aliena, concitant vbiq; tumultus, malè dicunt etiam de benè merentibus. Nouos hypocritas, nouos tyrannos video, ac ne micam quidem Euangelici spiritus. Si Luthero essem addictissimus, magis etiam istos odissem, quàm nunc odi, ob Euangeliū, quod suis moribus reddunt inuidiosum ob bonas literas, quas exstinguunt.

Nullus noui Euangelij sectator melior factus.

Erasmus Epist. lib. 19. Epist. ad Bucerum. Noui quosdam optimos, priusquam huic professioni sese addicerent, quales nunc sint, nescio: certè aliquot comperi factos deteriores, nullum meliorem, quantum humano iudicio perspici potest.

Insigne testimonium de genio noui Euangelij.

Erasmus Epist. lib. 20. ad quendam monachum transfugium ad Nouatores meditantem. Vereor ne imponant tibi quorundam præstigiæ, qui iactant hodie splendidis verbis libertatem Euangelicam. Crede mihi, si rem propius nosses, minus tæderet te istius vitæ. Video genus hominum exoriri, à quo meus animus vehementer abhorret. Neminem video fieri meliorem, deteriores omnes, quotquot ego sanè nouerim, vt vehementer doleam

leam, me quondam in libris meis prædicasse libertatem spiritus, quanquam id bono animo feci, nihil minus suspicans, quàm huiusmodi populum exoriturum. Optabam sic aliquid decedere ceremoniis humanis, vt multum accresceret veræ pietati. Nunc sic excutiuntur illæ, vt pro libertate spiritus, succedat effrenis carnis licentia. Ciuitates aliquot Germaniæ implentur erroribus, desertoribus monasteriorum, sacerdotibus coniugatis, plerisq; famelicis ac nudis. Nec aliud, quàm saltatur, editur, bibitur, ac subatur, nec docent, nec discunt, nulla vitæ sobrietas, nulla synceritas. Vbicunque sunt, ibi iacent omnes bonæ disciplinæ cum pietate, &c.

Testimonium hoc verissimũ est, Nil verius vel ex ipso Phœbi Tripode prodiit.

Erasmus Epist. lib. 20. Epist. ad Pirckheimerum. Video populum exoriri, à quo vehementer meus abhorret animus. Perit concordia, charitas, fides, mores, ciuilitas.

Fructus noui Euangelij.

Erasmus Epist. lib. 18. Epist. ad Ducem Georgium. Video sub prætextu Euangelij subnasci nouam gentem, procacem, impudentem, & intractabilem.

Iterum noui Euangelij fructus.

Erasmus lib. 1. Epist. 18. ad Hezium. Omnes habent in ore quinque verba; Euangelium, verbum Dei, fidem, Christum & Spiritum. Et tamen hic (*Basilea*) tales video multos, vt non dubitem quin agantur spiritu Satanæ.

Quinq; Nouatorum verba. Circe Euangelica suos statim transformat.

Erasmus Epist. lib. 19. ad Melanchthonem. Genuit olim Euangelium nouum hominum genus mundo. Nunc quales gignat hoc Euangelium non libet referre. Fieri potest, ut isthic sint aliusmodi, certè quos hîc noui, tales ferè sunt vt malim cum Papistis habere commercium, quàm cum illis, si quis contractus mihi pangendus esset. Postremò, quos olim noui optimos, quosq; dixissem virtuti natos, video factos deteriores.

Erasmus lib. Epist. 19. ad Aurbachium. Hic nobis hoc (quin-

(quintum) Euangelium gignit nouum hominum genus, præfractos, impudentes, fucatos, maledicos, mendaces, sycophantas, inter se discordes, nulli commodos, omnibus incommodos, seditiosos, furiosos, rabulas, qui mihi adeò displicent, vt si quam nossem ciuitatem ab hoc genere liberam, eò demigrarem.

Speculum vel lucidum Nouorum Euangelicorum.

Erasmus lib. Epist. 18. ad Brugnarium. Nec Euangelium est, quidquid isti docent, & docendi modus, nonnunquam seditionem mouet, non Euangelium. Ego faueo Euangelio, sed isti Euangelio non adiungar, nisi videro alios Euangelistas, aliumque populum, quàm ad huc video. Prouolant libelli famosi sine titulis, & istos mire probat Pharellus. Et applaudũt cæteri quoq;, quasi mendaciis & flagitiis defensandum sit Euangelium, quasique huc valeat Euangelium, vt huius prætextu peccemus impune. Pòst inuadent scrinia nostra: & dicent sic Aegyptios spoliauerunt Israëlitæ: & post facinus inuenient nouum dogma.

Si Nouatorum assertio Euangelium faceret omne quod docent, Euangelium foret.

Sparguntur passim famosi libelli: quorum approbator Farellus.

CAPVT SECVNDVM.

Nouum Euangelium initiò exstinxit literarum studia.



ERASMVS *Epist. ad fratres inferioris Germaniæ.* Nonne Lutherus totam Philosophiam Aristotelicam appellat diabolicam? nonne idem scripsit, omnem disciplinam, tam practicam, quàm speculatiuam esse damnatam? omnes scientias speculatiuas esse peccata & errores? Nonne Melanchthon aliquando damnauit scholas publicas? Nunc hic dicit, maneant scholæ, quæ bonæ sunt, vitia corrigantur. Quin idem dicit de rebus Ecclesiasticis,

Philosophia Aristotelica vocatur à Luthero Diabolica.

Melanchthon damnauit publicas scholas

quas

quas indiſcriminatim cõuellunt. Nonne paſſim & publicè clamabat Pharellus, omnes humanas diſciplinas eſſe inuenta diaboli? Poſt vbi viderunt hoc fore incommodum ſectæ, verterunt orationem, cœperuntq; conducere Profeſſores, quo fructu, quoue animo, neſcio. De Argentinenſi Eccleſiaſta, qui diſciplinas omnes pro concione damnarat, excepta lingua Hebraica, & paucula portione linguæ Græcæ, iſte fatetur fuiſſe rumorem per orbem ſparſum, quàm hic verè id excuſet, neſcio, apud me certè caret fide, qui fucos probat in viro Euãgelico.

Pharelli ſenſus de Diſciplinis humanis.

Idem in eadem Epiſt. fol. 1312. Criminãtur & illud, quod ſcripſi, quotquot in locis regnat hoc Euangeliũ, ibi frigere ſtudia literarum. Norembergæ, inquit, ſunt decreta ſatis ampla ſalaria linguarum Profeſſorib. Scio; ſed qui illic viuunt, ſcribunt, auditores eſſe penè nullos, & Profeſſores non eſſe minus pigros ad docendum, quàm auditores ad diſcendum, vt non minus opus ſit ſalario diſcipulis, quàm doctoribus. Quid iſtorum ſcholæ, quas habent perq; vrbes, perq; pagos ſparſas, nobis pariturae ſint neſcio; hactenus neminem audiui, qui in ſecta didicerit literas. Pelliciunt doctos ſalariis, & literatos iuuenes artibus attrahunt, vt per hos cõmendentur, magna ſtudiorum inuidia. ſed magni refert, quid in ſcholis eorũ tradatur. Dogmata & linguæ potiſſimum. At iſtorum dogmata non omnibus conueniunt, nec linguæ abſoluunt eruditionem. At non video, quo pacto conſentaneum ſit, fore, qui magni faciant diſciplinas, cùm nullus honos huc inuitet. Sublato ſacerdotio, ac ritibus Eccleſiaſticis, adempta ſpe fortunarum ac dignitatum, ad quas antehac literæ prouehebant, quis vellet grauibus impendiis curare liberos erudiendos?

Norimbergenſes ampla ſtipendia Profeſſoribus linguarum decernunt Sed deſunt auditores.

Neceſſe eſſet & hos aquè grandibus ſtipendiis conduci.

In eadem Epiſt. fol. 1329. Scripſi alicubi, vbicunq; regnat

gnat

gnat Lutheranismus, ibi frigore literarum studium. Si hoc non erat verum, cur Lutherus tam solicitè coactus est homines ad literarum amorem reuocare? Cur idem coactus est facere Melanchthō, qui nō dissimulabat esse verum, quod dico? Quam floreat Academia Vuittebergensis, nescio. Si quid est illic bonæ literaturæ, Melanchthoni debetur. Quid fiat in pagis, nescio. Certè nuper cœperunt aliquot ciuitates conducere Professores, sed opus erit, vt & auditores conducantur. Tam ardet studiorum amor. Non excutio nunc, quo id consilio fiat. Conferat Academiam Wittenbergensem cum Louaniensi, aut Parisiensi, quanquam & hæ nonnihil detrimenti sentiant ex Lutheranismo. Typographi narrant, se ante hoc Euangelium citius distrahere solitos tria voluminum millia, quàm nunc distrahant sexcenta: vel hoc arguit, quàm floreant studia literarum. Quid autem isti ferè docent, nisi linguas? sed proferant nobis vel tres, qui in Lutheranismo feliciter progressi sunt in literis. Hic paucitas literis se dedentium imputatur sacerdotibus, nam in hunc campum libenter exspaciatur: cùm in Anglia tot studiosorum collegia sint Episcoporum impendiis magnificentissimè exstructa, & additi census ampli, quibus tot adolescentes alantur eorundem, & sacerdotum munificentia. Nec in Anglia tantum, verum & in Brabantia, & in Gallia.

Typographorũ querela de Lutheranismo & Zuuinglianismo.

Erasmus Epist. lib. 20. ad Ioan. Fabrum. Linguarum Professores & alibi magnis salariis conducuntur, sed non sunt, qui audiant. Tantam ignauiam inuexit hoc nouum Euangelium.

Nouum Euangelium homines reddidit ignauos, ad literas.

Idem Epist. ad Danesium. Non desunt, qui sub vmbra pietatis Euangelicæ, quidquid est liberalioris eruditionis exstinguere moliantur.

Epist.

Epist. lib. 19. ad Pirckheimerum. Vbicunque regnat Lutheranismus, ibi literarum est interitus.

Breuis & probus aphorismus

Epist. lib. 19. ad Bucerum. Agunt isthic (*Argentorati*) qui hîc (*Basilea*) blaterabant, omnes disciplinas esse repertas à cacodæmonibus. Certè vbicunque regnat hoc hominum genus, quocunque nomine censendum, iacent, frigentq; studia omnia. Norenbergæ conducti sunt ex ærario ciuitatis, qui profiteantur, non est qui audiat.

Noui Euangelista blaterant omnes disciplinas à Diabolis fuisse repertas. ô lucem Euangelicam.

In Epist. constra Pseudoeuangelicos. Ex isto sodalitio exstiterunt, qui priuatim ac publicè docuerunt, disciplinas humanas nihil aliud esse, quàm retia dæmonum: tantumq; profecerunt, vt perquam raros in isto grege conspicias, qui seriò dent operam literis vel sacris vel profanis: quæstui, voluptati studetur affatim.

Musa apud Nouatores negliguntur. Mercurius, Bacchus, Venus sanctè coluntur.

Erasmus Epist. lib. 18. Epist. ad Henczelium. Nunc videmus vbique frigere linguas ac bonas literas, quas (*Lutherus*) intolerabili degrauauit inuidia. Iacent prisci scriptores. Theologia Scholastica, quam correctam optabamus, non exstinctam, obsolescit. Emoriuntur ferè omnes disciplinæ liberales.

In Lutheranismo & Zuuinlianismo neglectus omnium disciplinarum.

Erasmus Lib. 1. Hyperaspistæ fol. 1042 Hîc (*Basilea*) tui discipuli (*Lutherum alloquitur*) palam docebant disciplinas humanas esse venenum pietatis. Non esse discendas linguas, nisi Hebraicam, & Græcam, ex aliquantula parte, latinam prorsus negligendam. Vbi prodisset libellus tuus de instaurandis studiis aiebant te destitutum tuo spiritu, iam humano Spiritu cœpisse scribere, qui pugnaret cum Euangelio, idque dictitabant te facere in gratiam Melanchthonis.

Hunc Spiritũ suxerunt isti ex primo Lutheri spiritu.

Lutherus nonnihil resipuit, at nõ fanatici, quos seduxerat.

Erasmus lib. 2. Hyperaspistæ fol. 1096. Frigent vbiq; disciplinæ liberales vnà cum linguis ac bonis literis, quas tu (*Lutheram affatur*) grauas intolerabili inuidia. Reii-

ciuntur egregia veterum monumenta, & pro his mundus impletur rixosis ac famosis libellis.

Epist. ad fratres Infer. Germ. Literarum studia quantum prouehant (*Nouatores*) nescio. Certe grauant illa non mediocri inuidia.

Argumentum huius capitis valdè illustrabit lectio Lutheri Academici, *quem non ita pridem euulgauimus.*

CAPVT TERTIVM.

Noui Euangelistæ sunt eximij nuptiatores, & libidinosi.



RASMVS lib. 20. Epist. ad Episcopum Leodiensem. Oecolampadius hîc publicè vxorem duxit, puellam. sanè lepidam. Idem fecit concionator Augustinensium, & nuper concionator Franciscanus. Hac sanè via damnant illorum hæresim, qui detestantur coniugium. Vnus inter hos erat cælebs, qui pridem à magistratu damnatus, publicitùs in foro virgis cæsus est, ferreum cingulum collo gestans, atque ita per carnificem deductus extra portam in exilium perpetuum. Eiecti sunt simul pistor illius hospes, & huius vxor, quam arte mira persuasam vt à marito secubaret, constuprare solitus est, non omninò inscio, vt videtur, marito.

Oecolampadij & aliorum Apostatarum sacrilega nuptia.

Certè Cathari non fuerunt de quibus Ekbertus in Sermonibus contra Catharos.

Vide sis hic præconem Euangelicũ, qualem in toto nouo Testamento nullum inuenies.

Erasmus Epist. ad fratres inferioris Germaniæ. Ego noui Monachum qui pro vna duxerit tres. Noui sacrificum, virum alioqui probum, qui duxit vxorem, quam post comperit alteri nupsisse. Similia permulta de monachorum & monacharum coniugiis referuntur, qui

Talis olim tria amisisset capita, si tria habuisset. Nunc noui Euangelij beneficio quiduis impune patratur.

ductas

ductas repudiarint eodem iure, quo duxerant. Iam an inter Euangelicos minus indulgeatur libidini, an non minus sit adulteriorum: quid Argentorati fiat, nescio, quid alibi compertum sit, mecum nouit populus. Iam vt donemus istis Euangelij præconibus esse fas vxores ducere, quis non iure admiretur, ouiculas mactationi destinatas, nihil in hoc mundo quærentes præter Christi gloriam, tot curis districtos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit & paupertas, onus tum miserum, tum graue, non posse viuere sine vxoribus, quas tam multi ob leuiores causas aut non ducunt, aut ductas nollent. At istis omnis Tragœdia exit in catrastophen comicam. Vbi contigit vxor, occinitur valete & plaudite. Quæ malum est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere, vnde tanta carnis rebellio in his, qui se iactant agi spiritu Christi?

Mirandum Prædicantes non posse viuere sine vxoribus. Nil quærunt nisi vxorem. Hic finis fabulæ.

Erasmus Epist. lib. 21. ad Hedionem. Egregius verò Euangelij fructus, si ex vna ciuitate eiectæ sunt imagines: vtinam eiicerentur animorum idola, quæ prodigiosiora video penes istos, qui iactant Euangelij titulum. Olim amore Euangelij, qui habebant vxores, relinquebant vltrò. Nunc floret Euangelium, si pauci ducant vxores bene dotatas. Vereor ne multi ducant vxorem, non ob aliud, nisi quod non liceat maiorum legibus, &c. Verum, an vxore ducta protinus consultum est castitati? Quid si sacerdos qui prius habebat concubinam, nunc habeat vxorem cum pellice? Sunt quidam eo nati ingenio, vt decem cucullis coërcendi sint potius, quàm suo tradendi arbitrio. Certè multos alebat cuculla, qui nunc veniunt in periculum, ne magistra egestate discant tollere, vnde non oportet.

Apostoli Christi relinquebant vxores, istis nouis de vxore prima cura est.

Erasmus Epist. lib. 19. ad Melancht. Tantum hoc agunt (*Zuuingliani & Lutherani*) vt res quoquo pacto serpat, & egregium Euangelij profectum interpretantur, si pauci Monachi sint exonerati cuculla, &c. Si sacerdotibus aliquot sit prospectum de vxore, si è duobus templis exactę sint imagines.

Profectus noui Euangelij.

Erasmus Epist. ad fratres Inferioris Germaniæ. Populus Euangelicus (*Lutheranus & Zuuinglianus*) multos habebat admixtos, (*seditioni rusticorum Anno 1525.*) qui adeò non improbabant eam fabulam, vt magistratus de Reip. salute solicitus, magis metuerit à suis, quàm ab exteris, ac senatus Basileensis vnum ex Euangelij columnis iusserit ire in exilium, quem satellites narrabant se nocte Parasceues deprehendisse non adorantem crucem, quod isti nephas esse ducunt, sed in Paphiæ Deæ mysteriis operantem.

Prædicantes seditiosi.

Senatus Basileensis præconē in exilium ire iubet, ne turbas daret. Reperitur in lupanari. Vide admirabilem huius præconis deuotionem ipso sacratissimo Parasceues festo.

Erasmus Epist. lib. 20. ad Stibarum. Medicus quidam senex in publica professione, docuit, quod esset testamentum Christi, cùm ego semper putarim illud esse, Pacem meam do vobis, &c. Ille commonstrauit esse, τὸ, Crescite, & multiplicamini, & replete terram: magnoque stomacho debacchabatur in continentes, præcipuè monachas, quòd fundi tam boni non colerentur. Ex retento semine nasci syncopes, & capitis vertigines, aliasque mentis alienationes, quibus nunc passim laboratur. Hæc noster Silenus, breui, vt aiunt, ducturus monacham, ne laboret capitis vertigine.

Nouum & inauditum Testamentum Christi. Hircus vetulus & vietus nouo Euangelio calescens lasciuit.


Epist. Lib. 19. ad Pirckheimerum. Duo tantum quærunt (*prædicantes*) censum & vxorem: cætera præstat illis Euangelium, hoc est, potestatem viuendi, vt volunt. *VVicelius in Confutatione Iusti Ionæ.* Affirmant (*Lutherani*) etiamnum neminem purè Euangelistam esse posse, si desit vxor, &c. quorum pleriq; scorta ducunt.

Census & vxor, sunt prædicantibus summa votorum omnium.

Caput

CAPVT QVARTVM.

Alia nouorum Euangelistarum dotes.



RASMVS Epist. lib. 21. ad Hedionem. Capito noui Euangelij Episcopus, non habebat alias delicias, quibus se oblectaret quàm perditissimi decoctoris conuictum, ne quid addam. Qui inuexerunt mundo Euangelium primùm tales furciferos non dignati fuissent alloquio.

Quali sodalitio vtantur hi-us Euangelij pracones.

Erasmus Epist. ad fratres Inferioris Germaniæ. Nec tamen appello Zuuinglium seditiosum, sed improbo quod rem Euangelicam seditiosè gerat. An non hæc mea vox fuit, ad primum gustum libellorum Lutheri; Res exibit in seditionẽ. Huius rei testis esto, si velit, Capito. An non seditiosè rem gerit, qui tanta petulantia debacchatur in Cæsarem, Reges ac Principes præpotentes? In Pontificem, Cardinales, & Episcopos? Mihi semper displicuit, quod initio Zuuinglius tam odiosè scriberet Episcopo suo. Deinde, nonne imaginum eiectio per se res est seditiosa? &c. Nonne bellè probatum est, quòd Zuuinglium nusquam non facio seditiosum? Sed quamobrem tantoperè nunc horrent seditionis vocabulum, cum Lutherus scripserit eam esse peculiarem Euangelij naturam, mouere seditiones; celebreturque Zuuinglij dictum; Euangelium vult sanguinem. Rursus an non seditiosum, vasa sacra conflare in monetam? exigere Abbates sua ditione? mouere magistratu qui veterem Ecclesiæ disciplinam deserere noluerunt? Nec cuiquam obscurum est, quidquid senatus facit, Euangelistarum instinctu facere.

Zuuinglius seditiosè nouũ annuntiat Euangelium

Lutheri bacchationes in summos principes.

Axiomata planè Martinlia Lutheri & Zuuinglij.

Prædicantium impulsu agit Magistratus quidquid agit.

Zuuinglius quàm seditiosè rem gerit, *inquit Erasmus Epist. lib. 19. ad Melanchthonem.*

Idem Epist. ad fratres Infer. German. Superest Pharellus, bone Christe, quàm pius, quàm innocens vir. In quem quid scripserim, non referunt, si nunc est conuersus ad meliorem frugem gratulor homini. Qualis olim erat, mihi valdè displicuit, seditiosus, acidæ linguæ, & vanissimus. Sic rem gessit in Monte Pellicardi, vt bis inde profugerit. Basiliensis senatus cum cuperet ciuitatem esse tutam à seditione, iussit Pharellum ire exulatum. Oecolampadius, cuius mensa tum vtebatur, non semel obiurgauit hominem, quod obtrectandi nullum faceret finem, testatus se non posse ferre in conuiuio tam amarulentas obtrectationes. Id mihi narrauit, qui in eâdem mensa accumbebat, vir integritatis rarissimæ. Appellarat me Balaam; hac de causa cum illo expostulanti, nihil certi respondit; sed sic elapsus est, vt diceret negotiatorem quendam Dupletum hoc dixisse: is enim iam abierat; & fieri potest, vt dixerit, sed à Pharello doctus. De colloquio nostro scripsit Epistolam ad fratres Constantiam, in qua sæpe in decem versibus non erat vnum verbum verum. Omitto iam leuiora. Talem expertus, si talem depinxi, nihil mirum.

Pharelli, quem Erasmus sæpe vocat Phallicum, *germana Icon.*

Insignes Pharelli dotes: Bis ex Monte Pellicardi profugit. Basilea eiectus fuit, ne turbas cieret.

Artem mentiendi Pharellus egregiè callebat.

Erasm. Epist. ad fratres Infer. German. Cupimus Monarchis per omnia placere, *inquiunt noui Euangelistæ.* Cur igitur quidam templa spoliant, ab illis exstructa? Sed quum præcipiunt, inquit, impia, contemnendi sunt. Verùm impium erit, quidquid ipsis incommodum est. An non plerique apud Saxones negarunt Cæsari ac Regi Ferdinando suppetias aduersus vim Turcarum, sequentes dogma Lutheri, cuius nunc ille palinodiam cecinit? Nonne voces hasce iactarunt Euangelici, se malle pu-

Quam prædicantes Magistratui suo sint morigeri; Et quàm patientes in tolerandis iniuriis.

le pugnarĕ pro Turca non baptizato, quàm pro Turca baptizato, hac nota designantes Cæsarem? Omitto quæ Romæ gesta sunt; quàm Euangelicè se gesserunt Viennæ? Quis eam historiam non detestetur? Nec illa sine risu legent omnes, percutienti alapam dextram, obuertendam & læuam: auferenti tunicam, concedendum & pallium, &c. Et docemus inquiunt & meditamur. Si tales sunt Argentorati Ecclesiastæ, magnoperè gratulor ei Reip. Cæterum hæc indecorè scribunt, qui demoliuntur aliorum extructa sumptibus, qui occupantes Collegia & monasteria dicunt, veteres migrate coloni, qui armati procurrunt in forum. Quid interim Ecclesiastæ? Ne quem lædatis, nisi si quis vos prior læserit, parate tamen arma & bombardas, ne quis vos opprimat. Scio quosdam coniectos in carcerem, quòd verbum ipsis excidisset in Ecclesiastas (*Prædicantes*) Quendam etiam de capite periclitatum. Mitto, quæ de Zuuinglij clementia vulgo iactantur. Quod si verè meditantur patientiam Euangelicam cur tam amarulentis & criminosis libellis quidam debacchantur in hunc & illum?

Simulant ouiculam, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Tange illos, Et vide, si non in faciem benedixerint tibi.

Vide mansuetudinem Euangelicam.

Tot vulgo volitant dentatissimi libelli, plenique amarulentiâ, & conuiciis tam acerbis, vt non temerè quidquam simile reperias apud Ethnicos; & nobis toties iactant admirabilem illam mansuetudinem, quæ percussa dextra maxillâ, percutiendam præbet læuam, &c. Sibi tutum esse volunt in Episcopos, Reges, ac Principes quidquid libet conuitiorum effundere. Experiatur qui velit, an si simili modo debacchetur in Ecclesiastas (*Prædicantes*) aut magistratus istorum, impune sit ablaturus. Ego priuatam quorundam mansuetudinem abundè sum expertus.

Eras-

Dissensiones Prædicātium.

Erasmus Epist. lib. 18. ad Pelicanum. Vos inter vos digladiamini. Zuuinglius & Oecolampadius aduersus Lutherum & Pomeranum; & rursus Balthasarus (*Pacimontanus*) aduersus illos, aduersus te Pharellus, & tam discordi factioni memet adiungam periculo capitis mei, imò potius animæ?

Præclarissima Elogia Pharelli.

Dignus noui Euangelij præco.

Erasmus Epistol. lib. 18. ad Brugnarium. Quid istic (*in Monte Bellicardi*) doceat Phallicus (*Pharellus*) aut quid rerum gerat, nescio. Vtinam hoc præstaret, quod profitetur. Profitetur enim Euangelium; at ego numquā vidi hominem confidentius arrogantem, aut rabiosius maledicum, aut impudentius mendacem. Breuiter, talem comperi, vt cum talibus nec amicitiam habere velim, nec inimicitiam. Nec ipsi Lutherani ferre potuerunt hominis insatiabilem petulantiam.

Discordia inter prædicātes. Fratrum quoq; gratia rara est.

Erasmus lib. 1. Hyperaspistæ fol. 1038. Cur inter tuos fratres (*Lutherum alloquitur*) adeò malè conuenit? Eandem scripturam habent omnes; eundem spiritum sibi vendicant omnes: & tamen Carolstadius abs te fortiter dissensit: dissentit & Zuuinglius, & Oecolampadius, & Capito, qui Carolstadij sententiam probant, probationes non probant. Rursus inter Zuuinglium & Balthazarum * quantis de rebus quantum est dissidium? Ne commemorem imagines ab aliis eiectas, per te defensas, vt taceam de nouo baptismo, à tuis reiecto, ab aliis prædicato, ut sileam humanas disciplinas, ab aliis reprobatas, * abs te defensas. Cùm tractetis omnes rem scripturæ, si ea nihil habet obscuritatis, cur inter vos tam malè conuenit, &c.

** Pacimontanum.*

** Sed postquā nonnihil ab Anabaptistico Enthusiasmo respirauit. Discipuli Lutheri à Magistro suo dissentiunt.*

Ibid. Quod si nobis hanc legem præscribas, vt, quidquid tu fueris interpretatus, id credamus sentire scripturam; non patientur tui sodales, qui tibi fortiter reclamant,

clamant, asseuerantes te de Eucharistia perperam interpretari scripturas. Quare non æquum est, nos tibi plus authoritatis tribuere, quàm tribuunt tuæ professionis sodales præcipui.

Erasmus Epist. lib. 21. Epist. ad Hedionem loquens de Scoto Typographo Argentoratensi, cui prohibitum erat, ne, nescio cuius rabulæ libellum excuderet, ita scribit de Ottone Brunfelsio. Et tamen illinc depulsus, dedit nobis Epistolas Othonis, bellas scilicet, quæ Euangelia quoq; vocent in dubium. *Fuerat iste Otho antea Carthusianus. Posito cucullo tantos in nouo Euangelio progressus fecit, vt Euangelia Christi in dubium vocaret. De quo idem Erasmus ad Melanchthonem lib. 19.* An ideo depellimus Dominos, Pontifices & Episcopos, vt feramus immitiores tyrannos, scabiosos Othillones, & Phallicos rabiosos, *hoc est, Scabiosum Othonem, & rabiosum Pharellum.*

Otho Brunfelsius Euangelia in dubium vocat.

Othonem vocat Erasmus contemptim Othillonem *Scabiosus Otho. Rabiosus Farellus.*

Negant se adferre noua dogmata, sed instaurare vetera: quasi vetera non sint, quæ ad hunc vsque diem ab annis mille quadringentis docuit & seruauit Ecclesia, magno orbis consensu: aut quasi ipsis constet, quid Apostoli tradiderint suis Ecclesiis. Si ministri verbi nihil addere debent scripturis, cur Paulus ausus est quædam statuere in Ecclesiis, quæ Dominus non docuit? An non illud nouum dogma: hic panis consecratus est corpus Domini; hoc vinum, est sanguis Domini? Corpus sub pane est sine sanguine, sanguis sub vino est sine corpore, neutri adest anima? An non nouum est, baptisma nulli necessarium esse? Docent purum & putum Euangelion: quodnam? vt per fidem ab vno DEO, per vnum seruatorem, & conciliatorem nostrum Iesum Christum omnis iustitia & salus petatur. Quid his verbis religiosius? At quantum in his latet

An noui Euangelistæ noua dogmata proferant.

Nouum dogma de Eucharistia.

Nouum dogma de baptismo.

Melle litus gladius.

Quantum impietatis sub piis verbis tegant.

veneni? Impium est inuocare diuos aut colere, cùm nihil possint apud DEVM. Impium est orare sacerdotes, vt in sacro precentur DEVM pro ipsis. Sola fides iustificat, nec refert cuiusmodi sint hominis opera. Nihil opus est operibus satisfactoriis: nam hoc est diffidere Christo, qui pro nobis dependit. In purgatorio nulla est satisfactio per cruciatum; inutilis est confessio: nam hoc est iustitiam ab homine petere. Hæc omnia latent sub illis religiosissimis verbis.

Prædicantes insectando prisca instituta, iniuriosi sunt in Principes & alios Christiani orbis status.

Semper in ore habent Euangelion.

Anima scripturæ est sensus.

Ibid. Cum isti nusquam non incessant ea, quæ tot seculis recepta sunt, in quot pientissimos principes, in quot graues senatores, in quot regiones, in quot ciuitates, in quot hominum millia contumeliosi sunt? Obiiciunt nobis Euangelion, Christum, Christi Spiritum, Scripturam, nihil horum Ecclesiæ Catholicæ deesse putamus, &c. An non nouum adferunt Euãgelion, qui secus interpretantur, quàm hactenus interpretata est Ecclesia? Anima scripturæ, sententia est. Frustra consentiunt in verbis, qui sensu dissident. Nec potest subsistere nouum, nisi subuerso vetere.

Omnia nimirum sibi licere volunt: Catholicis nihil.

Ibid. Quoties Catholici moliuntur aliquid pro defensione suæ fidei, seditiosus tumultus est; quoties ipsi faciunt eadem pro suo instituto, sanctissimus est Euangelij zelus.

Apostoli fidem sibi conciliabant miraculis.

Noui Euangelistæ assensum à nobis obtinere contendunt; iactatione & venditatione sui spiritus.

Erasmus in Diatriba de libero Arbitrio. Non credebatur Apostolis, nisi miracula fidem adstruxissent doctrinæ: nunc quilibet sibi postulat credi; quod affirmet se habere spiritum Euangelicum. Apostoli quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant donum linguarum; ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cum iuxta communem opinionem adfe-

adferant penè παραδοξότερα nullus illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit. Atque vtinam quidam absque miraculis præstarent synceritatem ac simplicitatem morum Apostolicorum, qui nobis tardiusculis essent miraculorum vice, &c.

Nullus Prædicantium hactenus claudū equum sanare potuit. Valde pupugit hic claudus equus Lutherum, vt videre est in libro de seruo arbitrio.

Rogantibus quonam argumento sciri possit, quæ sit vera interpretatio scripturæ, cum vtrinque sint homines, respondent; indicio spiritus. Si roges, cur illis, quorum aliquot etiam miraculis editis inclaruêre mundo, defuerit spiritus potius quàm ipsis; sic respondent, quasi mille trecentis annis nullum fuerit Euangelium in mundo. Si requiras ab illis vitam spiritu dignam, respondent, se fide iustos esse, non operibus. Si requiras miracula, dicunt iam olim cessasse, nec opus esse iam in tanta luce scripturarum. Hîc si neges hac in parte esse dilucidam scripturam, in qua tot summi viri caligarint, circulus ad caput redierit. Iam vt demus, eum, qui spiritum habet, certum esse de sensu scripturæ, quomodo mihi constabit, quod ille sibi sumit? Quid faciam, vbi multi diuersos sensus afferunt? quorum vnusquisq; se iurat habere spiritum. Ad hæc cum spiritus non iisdem suggerat omnia, labi, fallique potest alicubi etiam is, qui habet spiritum.

Ridicula prædicantium responsa de scriptura interpretatione.

Prædicantes aiunt se fide iustos, non operibus.

Circulus redit ad caput.



CAPVT QVINTVM.

Qualis in specie Lutherus.



Quibus emblematis libri Lutheri potissimũ exornentur.

Rasmus Epist. lib. 18. ad Henckelium. Prouolarunt alij super alios libelli (*Lutheri*) quorum nouissimus quisque violentissimus erat. In his me vehementer offendebat præter arrogantiam, insatiabilis quædam conuiciandi libido, non absque specie scurrilitatis, & compertum habeo, eum per leues quosdam homines ad hæc incitari, simpliciter indignos; quorum vel in coquendis oleribus consilium admittat. Et ad talium susurros stringit petulantem calamum in reges, & in homines publicitus de omnibus bene mereri cupientes, velut oblitus, in quo theatro quam personam sustineat, quam fabulam agendam susceperit.

Lutherus vincit omnes scurras in fannis, conuitiis & id genus aliis.

Erasmus lib. 18. Epist. ad Episcopum Lingoniensem. In dicteriis, in fannis, in conuiciis, in salibus, quem non vincit scurram? (*Lutherus*) Magno animo contemnit Cæsares & Pontifices, & ad leuissimorum, abiectissimorumque hominum susurros, sic debacchatur in quemlibet, velut oblitus, quam agat fabulam, & quam personam induerit.

Maledicentia Luthero vbiq; prompta & obuia.

Id argumento Lutherum Spiritu Christi carere.

Erasmus contra expostulationem Hutteni Tom. 9. Si mihi terque quaterque frater esset Lutherus, si doctrinam illius totam probarem, non possem non vehementer improbare, tantam in asseuerando peruicaciam, tam acerbam vbique paratam maledicentiam. Nec adhuc possum animo meo persuadere, Christi Spiritum, quo nihil mitius, inhabitare pectus illud, vnde tanta scatet amarulentia, &c. At habet & Spiritus Euangelicus suum stoma-

ſtomachum. Audio, ſed alium, nec vſquam abeſt illud mel charitatis, quòd obiurgationis aloën condiat.

Ibid. Lutherus in argumentando parcus & adſtrictus (*eſt*) in conuiciis & ſcommatis neque modum nouit, neque finem, ibi ſæpenumero ſannis & ſalibus ludens, vbi res nullam præbet occaſionem.

Lutherus in argumentando parcus, in conuiciando largus.

Ibid. Deſidero in Lutheri ſcriptis modeſtiam & manſuetudinem Euangelicam, noto peruicaciam aſſeuerandi. Eadem, quo magis deſiderem, faciunt illius libelli, qui prodeunt indies atrociores.

Lutherus neminem, qui contradicat, patitur. Eraſmus lib. 1. Hyperaſpiſtæ fol. 1032. Diſcedat Melanchthon in diuerſam partem, & arma moueat in te, protinus & ille tibi putebit, neque mitiorem patietur metamorphoſim, quàm paſſus eſt Carolſtadius, qui repentè è Spiritus ſancti myrothecio factus eſt organum ſatanæ, ſimulatque latum vnguem diſceſſit à tuis præſcriptis, &c.

Lutherus in omnes à ſe diſſentientes, licet antea amiciſſimos, debacchari conſueuit. &c.

Ibidem: Habemus fructum tui ſpiritus, res vſque ad cruentam ſtragem progreſſa eſt, & metuimus atrociora, ni DEVS propitiatus auerterit. Dices, hanc eſſe naturam verbi. Ego nõnihil arbitror referre, quomodo prædicetur Verbum DEI, vt iam DEI verbum ſit, quod doces. Non agnoſcis hoſce ſeditioſos, opinor, ſed illi te agnoſcunt: & iam compertum eſt, multos, qui ſe iactabant Euangelij nomine, fuiſſe ſeditionis crudeliſſimæ inſtigatores. Quorum conatus ſi ſucceſſiſſet, fortaſſis exſtitiſſent, qui probarent, quod nunc, re malè geſta deteſtantur. Tu quidem libello in agricolas ſæuiſſimo, ſuſpicionem abs te depuliſti, nec tamen efficis, quo minus credant homines, per tuos libellos præſertim Germanicè ſcriptos, in oleatos & raſos, in

Fructus Lutherani ſpiritus, ſeditiones, bella, cædes, &c.

Seditioſi agnoſcunt Lutherum pro anteſignano.

Lutherus belli ruſtici tuba & buccina.

monachos, in Episcopos, pro libertate Euangelica, contra tyrannidem humanam, hisce tumultibus fuisse datam occasionem, &c.

Etiam discipuli Lutheri moderationem in Luthero desiderant.

** Non est Euangelium. Quid opus hac hypothesi?*

Moderationem autem non ego solus in tuis scriptis desideraui. Desiderant etiam ij, qui tibi sunt iuratissimi. Siquidem ipsa re comperiunt, quot hominum millia calami tui sæuitia, aut si mauis parum Euangelica facetia, abalienarit ab Euangelio, si modò quod tū doces * Euangelium est.

Lutheri Synagoga est congregatio disgregata. Pugna Cadmæa Prædicantium.

** VVitteberga.*

Noua dogmata noua dissidia.

Erasmus loc. cit. Si me tæderet huius Ecclesiæ, quæso te per Euangelium, quò me vacillantem ac perplexum vocares? ad istam vestram disgregatam congregationem, & vndique dissectam sectam? Carolstadius in te debacchatus est, tu vicissim in illum. Nec dissidium fuit de lana caprina, sed de re grauissima. Zuuinglius & Oecolampadius multis voluminibus oppugnant tuam sententiam. Et his consentiunt aliquot proceres tuæ congregationis, quorum est Capito. Rursum Balthazarus quanta contentione pugnauit cum Zuuinglio? Et haud scio an istic in exigua * ciuitatula, satis inter vos conueniat, &c. Exortum est istic propheticum genus, qui cum tibi fuit acerrima conflictatio. Denique quemadmodum quotidie inter vos existunt noua dogmata, ita simul exoriuntur noua dissidia, & postulas ne quis à vobis dissentiat, cum ipsi inter vos de rebus grauissimis sic dissentiatis? Finge igitur verum esse, quod toties sine fronte repetis, me miserum fluitare inter Scyllam, & Charybdim, in quod littus, in quem portum me vocas?

Lutherus insignis artifex deprauandi, calumniandi, &c.

Ibid. Efficiam, vt omnes intelligant, quantus sis artifex (*Lutherum alloquitur*) detorquendi, deprauandi, calumniandi, exaggerandi quidlibet, quanquam istuc

iam

iam pridem agnoſcit mundus,&c. & ea tibi vafricies eſt, vt rectè dicta deprau es, quoties eſt commodum: vt quod album eſt vertas in nigrum, quod lucidum, vertas in tenebras.

Lutherus albū vertit in nigrū lucem in caliginem.

Ibid. Neque cuiquam pugna eſt, cum verbo Dei, quod toties intonas, ſed cum tuis interpretationibus. Iam & illud vide, num iſtis rationibus Apoſtoli doctrinam Euangelicam inuexerint in mundum, quibus tu recitituis, ſicut ais. Nuncubi calumniantur immerentes, num ſcurrilibus dictis debacchantur in quemlibet? Nū quem ſuſpendunt naſo, num ſtrophis, calumniis ac minis agunt Euangelij negotium? Num vtuntur tanta linguæ petulantia? Poteram hîc multa alia commemorare, quæ premo, tua prudentia fortaſſe diuinat, quid ſentiam.

Diſſimilitudo ingens inter modum, quo Apoſtoli doctrinam Chriſti prædicarūt; & illum quo Lutherus ſuū verbum annunciauit.

Eodem lib. 1. Hyperaſpiſtæ fol. 1096. Noui aliquot viros bonos ac doctos, qui initio nō inuiti legebant tuas lucubrationes cognoſcendi iudicandique ſtudio; tandem coacti ſunt reiicere, quod faterentur ſeſe infici tot ſannis, ſcommatis, dicteriis, conuiciis, calumniis parum Chriſtianis, quibus doctrinā tuam contaminas, non aliter quā ſolent ij, qui capos aut phaſianos infarciūt alliis.

Lutheri libri pleni ſcommatis, & calūniis.

Ibid. Exitium omnium bonarum rerum ſecum adfert iſta calami tui ſeditioſa petulantia. Concitatus eſt populus aduerſus Epiſcopos & Principes, magiſtratus ægrè cohibent plebeculam nouarum rerum auidam, atrocibus odiis diſsident inter ſe ciuitates, quæ prius erant cōiunctiſsimæ, vix inter homines nunc inuenias, cui tutò fidas, libertas omnis adempta.

Lutheri petulantia omnia turbauit & concitauit & cōiunctiſſimos disiunxit.

Fol. 1090. Vbi interim eſt mirabilis ille Euangeliſta, qui ſolo gladio ſpiritus, quod eſt verbū Dei, profitebatur ſe vindicaturū Euangeliū aduerſus portas inferni? Ad calu-

Lutherus totus eſt in calumniis.

calumnias; ad minas, descendis totus, & tamē vis videri simplex purus, nec affectibus humanis duci, sed spiritu DEI. Rectè doces, DEVM oportere iustum credi, etiamsi nec lux naturæ, nec lux gratiæ comprehendat eum esse iustum; at non rectè postulas idem ius tibi.

Erasmus lib. 2. Hyperaspistæ fol. 1218. Ante omnia curandum erat, ne quem in huius negotij consortium reciperet (*Lutherus*) cuius mores inuitarent quenquam ad Euangelij blasphemiam. Si ex ipsius doctrina maritus comperisset vxorem magis sobriam, magis pudicam, magis morigeram: si herus famulum emendatiorem, fideliorem, dicto magis audientem; si locator fabrum, vestiarium aut aurificem minus furacem, si conductor mercenarium in præstanda opera synceriorem; si emptor negotiatorem veraciorem, minusque subdolum; si creditor debitorem, si depositor depositarium melioris fidei; si amicus amicum, in omnibus integriorem; si magistratus ciuem legibus obsequentiorem; si præceptor discipulum magis tractabilem; magnum argumentum erat futurum mei similibus imperitis doctrinam istam à spiritu DEI proficisci.*

** Nunc cum omnia secus eueniant vt ex cap. 1. liquet, difficile non est statuere, qualesit Lutheri Euangelion.*

Simoni dixit Petrus, non est tibi pars in sermone hoc. Quale est Euangelium quod recipit tales, quales nimium multos nouimus, quod agnoscit decoctorem, scortis, alea, comessationibus, ocio luxuque perditum, nihilque sibi non permittentem, modò sibi nomen * equitis possit affingere. Et huius tituli ius esse putat, deludere creditorem, & si repetat mutuum pro hoste ducere; & quoties vrget inopia, huic aut illi, vnde spes est prædæ, bellum indicere, publicumque latrocinium belli nomine fucare.

** De Hutteno loquitur.*

prin-

Principi ius non est indicere bellum, nisi consilio adhibito. Et is, qui pedem vbi ponat non habet, bellum indicit cuilibet. Ac talibus est locus in nouo Euangelio, quibus apud Ethnicos in ciuitate moderata locus non esset. Hoc satis est, approbat mea dogmata. Quid refert de factis, modò adsit fides? Fateor olim & tales recipiebat Euangelium, sed resipiscentes, sed transformatos. Nunc quidam adeò non corriguntur per Euangelium, vt potius videantur deteriores, nec fit, vt peccare desinant, sed vt peccent impunitius, &c.

Quales Euangelij noui consortes.

Improbi ad Lutheri Euangelium trāseunt, non vt desinat esse improbi, sed vt securius sint improbi.

Nunc non lubet commemorare, quales habeat plerosque discipulos; illi satis est, quales quales sunt, quod approbant ipsius dogmata. At Paulus ne cibum quidem capi vult cum fratre, qui nominatur auarus, aut scortator, aut maledicus. Certè istorum multi ad publicam tranquillitatem adeò sunt inutiles, vt Turca quoque feratur Lutheranorum nomen execrari, seditionis odio, cum Christianos toleret, ab ipsius dogmatibus alienos. Quid hic commemorem, quanta inter Euangelistas, sic enim ipsi se vocant, dissensio, quàm atrox odium, quàm amarulenta contentio, imò quanta inconstantia: cum ipse Lutherus toties mutarit sua placita, & subinde noua paradoxa suppullulent. Nec vllus est finis; semper posterioribus, contrà quàm habet Græcorū prouerbium, deterioribus. Adde nunc in docendo, molestiam, inciuilitatem, arrogantiam, amarulentiam, &c.

Etiam Turcis Lutheranorū nomen execrabile est.

Rixa inter Prædicantes.

Eorundem inconstantia.

Semper noua dogmata suppullulant.


Dices. Lutherus natura est vehementior. *Si* vehemens esse volebat, habebat Paulum tonantem ac fulminantem; Iste deliciatur, ac ludit, crebrò scurriliter, semper gloriosè. Ad quid valet ista petulantia? vt etiam, si qua recta sunt, fidem non inueniant, & bona sententia secus quàm oportet prolata displiceat. Ne quid interim

Lutheri ingenium scitè depictum.

loquar de versuta quadam vafricie, quā aliquoties scripta hominis resipiunt. Postremò qualis est hominis animus, talem videmus successum. Omnia spectant ad cruentos tumultus, & interim ille velut otiosus ludit facetiis. Iam petulantia; qua debacchatus est in Diatribam, displicet etiam illis, quos habet iuratissimos, &c. Si rhōchos, conuicia, glorias operi demas, vix quarta voluminis pars remanserit.

Euangelium nouum peperit cruentos tumultus.

Iudicium Tigurinorum de Luthero.



IGVRINI in Zuuingliana Confeßione sua Latinè edita, Anno 1545. Liber hic (*Lutheri, qui inscribitur* Breuis Confessio) tanta Diabolorū, atque selectissimorum & à Christiana fide cumprimis abhorrentium conuiciorum copia scatet; tanta verborū immodestia, fœditate & impuritate turget, tanto denique iracundiæ, maledicentiæ, furoris & insaniæ impetu furit, vt quotquot illum legere dignantur (modò non ipsi quoque cum illo insanire cœperint) non sine graui animorum stupore infelix hoc & inauditum hactenus exemplum admirari cogantur, &c.

Liber Lutheri Diabolis & cōuiciis scatet.

Item verborū fœditate & impuritate.

Furore insuper & inaudita maledicentia.

Ibid. fol. 10. b. Neminem vnquam mortalium Luthero vel fœdius, vel inciuilius, vel inhonestius, idque præter omnes Christianæ modestię & sobrietatis terminos, in negotiis illibatæ religionis nostræ & aliis magnis, & arduis disputationibus scripsisse, luce clarius constat, nec à quoquam etiam negari potest. In omnium enim manibus versantur Lutheri *Heinzius* Anglicus, contra Angliæ Regem editus; & alius nescimus quis *Heinzius* cum *Meinzio* quodam in spurco suo libro, quem Hañs Worst appellari voluit. Accedit his eiusdem contra Iudæos

Nemo fœdior & spurcior Luthero in libris.

Palmam turpiloquentia omnibus præripit.

Lutheri Heintzle.

Eiusdem Meintzle.

Eiusdē Hañs Wurst.

Qualis liber Lutheri contra Iudæos.

dæos

dæos liber, vbi fœda & ſpurciſſima quædam, de Iudæorum Bibliis & literis, quas non legere, ſed vorare illi debeant, deblaterat.

Exſtat præterea eius *Schembamphoras* liber prodigioſus, porcorum frequenti mentione & oleti ac ſterquilinij crebra & fœda commemoratione ſpurcus atque fœtens, quem ſi fortè ſubulcus aliquis ſcripſiſſet, aliquam fortaſſis, quamuis non adeò ſplendidam, excuſationem mereretur. *Eiuſdē Schem Hamphoras. Quidquid conatur dicere, Porcus Stercus Damon erat*

In eod. lib. fol. 122. 123. iidem Tigurini. Lutherus vltimū hunc libellum ſuum, *Breuem de Sacramento Confeßionem*, inſcripſit. Et ſanè ſi diuinæ ſcripturæ locos, argumenta iuſta & ſolida in illo inquiras, *nimium* breuis eſt. Rurſus verò ſi conuicia, calumnias, & criminationes conſideres, plus ſatis prolixum & magnum videbis, talis enim eſt, vt in maximis reliquorum Doctorum omnium operibus nihil eiuſmodi inuenire poſſis, &c. Sed & alij ferè omnes ipſius libri eundem genium habent, &c. *Lutheri liber breuis argumentis, prolixus conuiciis & calumniis. Lutheri libri eiuſdem generis & genij.*

Diuinos equidem prophetas, Ioannem Baptiſtam, Apoſtolos electos, ac omnium horum Dominum & caput Ieſum Chriſtum dicendi acrimonia, & duris verbis vſos nonnunquam fuiſſe fatemur. Modum tamen in omnibus iſtis tenebant, & ſimul rationibus quoque firmiſsimis auditorum animos in ſuas partes pertrahebāt. Lutherus autem modum non ſeruat aliquem, ſed pleraque ſua ſcripta, præter conuicia & criminationes, nihil ferè aliud continent, adeo vt licet argumentum aliquādo firmum & ſolidum inueniat, idem tamen tot fœdis & diris verbis farcit & onerat, vt ſanam doctrinam ſub tam diris criminationibus latentem vix poſſis deprehendere, &c. *Antitheſis correptionū Chriſti, Prophetarum, &c. & Lutheri. Lutherus vbique immodicus. In libris eius, præter conuicia, ferè nihil.*

Antithesis II. Illorum correptiones graues erant & minimè leues. *Lutheri correptio grauitate caret; leuitate abundat.* Lutheri correptio, vt minimum grauitatis, ita leuitatis plurimùm & nimium habet.

Antithesis III. Illi Dei gloriæ, non priuato honori, non suæ pertinaciæ, & superbiæ studebant: sed & peccatorum salutem quærebant vnicè, adeo vt licet acribus nonnunquam verbis inueherentur, in ipsa tamen acrimonia paterni spiritus ingenium elucesceret. *Lutheri eximia virtutes.* Lutherus sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & confestim Satanæ tradit, quotquot illius sententiæ non illicò subscribere velint: & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni spiritus, quàm minimum vero *(imò nihil)* amici & paterni ingenij deprehenditur.

Antithesis IV. Dei ministri iuxta delicti culpam & rationem correptiones suas vel intenderunt, vel leniuerunt. *Lutherus largus in conuitiis.* Lutherus primo statim conatu omnia, quæ habet, maledicta profundit. Qui enim in vno aliquo errarit, illi omnia reliqua bona opera inutilia & inania esse dicit; *Mala potius, quàm bona opera facere suadet.* præstare denique, vt pro his peccata potius & mala opera faciat, vt vel sic sua ipsius facta posset agnoscere.

Antithesis V. Dei Ministri eos duntaxat, qui correptionem merebantur, corripiebant. *Lutherus sontes iuxtà ac insontes inuadit.* Lutherus insontes quoque cum sontibus inuadit, eosque non minori amarulentia & immanitate, quàm sceleratissimos nebulones, proscindit: Quapropter sanctissimorum Dei Prophetarum & Apostolorum acres correptiones, Lutheri exemplo minimè patrocinari possunt, &c.

Qui Christi Minister est, Domini negotium solummodo agere debebat, & os ad diuini verbi prædicationem à Domino purgatum, nequaquam tot sordibus, Diabolis, conuiciis, & tanta fellis amarulentia scatere conueniebat, &c. Mundus per se non otiosorum modò,

sed

sed & leuissimorũ verborum, conuiciorum, scommatũ, execrationum, calumniarum, obtrectationũ, infamiarum, omnis deniq; obscænitatis totus plenus est. Lutherum ergo tam insulsi soli salem esse decebat: ipse verò vel nimium amarulentiæ addit, vel conuiciando exemplum aliis præbet. Magna enim & plus satis magna eorum concionatorum est copia, qui ex Lutheri libris calumniosis & mordacibus ingentem maledictorum vim colligentes, eandem illam postea in publico suggestu in miserum Domini gregem exonerant, &c.

Lutherus mũdi vitia incrementis nõ paruis auxit.

Lutherus ad conuicia aliis præit.

Quàm dociles hac in schola habeat discipulos.

Ex istiusmodi pastorum exemplo indignum illud conuiciandi & calumniandi studium in totam plebem quoque se diffundit, vt plerique istorum, qui cumprimis Euangelici videri volunt, suum illud Euangelij studium maledictis solummodo & amarulentis dicteriis testari velint: & hoc deinde apud plures hominum laudem meretur: Lutherus enim Germanorum Apostolus & Propheta, idem facere consueuit. Hinc autem fit, vt insigne scelus virtutis loco habeatur, vnde plurimum offendiculi manare videmus. *Hactenus Zuuingliani, qui sanè Lutherum suis coloribus insigniter depictum nobis exhibent. Nullus, qui vel à limine Lutheri libros & spiritum gustauit; renuet huic testimonio subscribere illud Paulinum: TESTIMONIVM HOC VERVM EST.*

Conuiciandi petulantia à Luthero & Lutheranis Prædicantibus manat in vulgus.

Amorem Euãgelij sui plerique solis maledictis testatũ faciũt.

Defendunt se exemplo Lutheri, ratis bonam esse hanc consequẽtiam: Luthero, nostro Apostolo, hoc licuit; ergo & nobis.



CAPVT VI.

Qualis populus noui Euangelij sectator.



Verbis sunt morigeri; re, immorigeri.

SEDITIOSVS & Magistratui inobediens, licet pax & obedientia illis perpetim in labiis natet. Erasmus Epist. ad fratres inferioris Germaniæ. Magistratibus plurimùm tribuunt, quibus à Deo datus est gladius ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. Atqui gladium habent, & qui damnant ac puniunt ista profitentes, quæ docent, vt schismaticos, & hæreticos. Cur his non obtemperant? cur non obediunt summæ potestati Cæsaris ac Regum? Sed oportet, inquiunt, magis obedire Deo, quàm hominibus. Atqui profanus magistratus non iudicat nisi de his, quæ palàm legibus vetantur: de fide Catholica sunt alij iudices. Horum iudicium secutus Cæsar, plectit illos, si nolint resipiscere. At istorum magistratus vnde docti sunt? Ab ipsis reis, non enim dicam hæreticis. Et Pontificum & Episcoporum potestas à Deo est; cur hãc non agnoscunt? Non habent, inquiunt, nisi gladium verbi. Sed hoc gladio iugulati sunt isti, ac traditi Satanæ. Immeritò, inquiunt. Quo argumento? quia contra diuinas Scripturas fulmina vibrant in innoxios. Sed harum interpretationem sibi propriè sumunt, cum interim inter se de re tanta dissentiant. Ita denique fiet, vt nulla Scriptura valeat, nisi iuxta sensum ipsorum, nulli magistratui sit obediendum, nisi qui ipsis consentiat. Non est, inquiunt, magistratui parendum, nisi iuxta scripturæ diuinæ regulas vtatur potestate. Scripturas autem interpretari nostrum est, non aliorum.

Friuola excusatio, cur Cæsari & Principibus non obediant.

Aiunt se damnari immeritò. Quis hoc testatur? Ipsimet Rei.

Conuinci volunt scripturis, sed ita, vt ipsi sint scripturæ expositores.

Vani Nouatorum prætextus

Agnoscunt publicam potestatem in omnibus, quæ non adigunt ad impietatem. At quæ tandem impietas est,

est, certis diebus à cœna temperare, iis, qui hoc citra corporis incommodum, imò cum animi & corporis commodo facere possunt. Quæ impietas est canere laudes Deo in templis? aut dicere preces horarias? Dicuntur, inquiunt, ad quæstum, dicuntur lingua tantum. At non ab omnibus, imò permulti psallunt lingua simul & affectu. Cæteri sedulò monentur, vt qui psallunt spiritu, psallant & mente; monentur vt præcipuè spectent vtilitatem proximi potius, quàm quæstum. quanquam & hic dignus est operarius mercede sua. Qui altari seruit, quocunque modo, par est, vt de altari viuat. Verùm sacerdotes, inquiunt, non viuunt de altari, sed luxuriantur Ecclesiæ stipendiis. Luxus igitur amputetur, non sacerdotium, &c. *Abusus tollendus, non vsus.*

Nec illud absque risu legetur, quod aiant se neminem velle lædere, neminem cogere, à seditione longè lateque abhorrere, minimis salariis contentos prædicare Euangelium. *Nouatores laudes suas decantant.* An contenti sint Deus nouit: illud in confesso est, quosdam gnauiter egisse cum magistratu de augendo salario. Sed faciat magistratus periculum; offerat cuique concionatori aureos mille; si recusant, fatebor illos esse contentos suis salariis. *Quàm verè.* Quid autem hoc est, neminem lædere? Hoccine est neminem lædere, canonicos depellere à collegiis, monachos è monasteriis, Abbates & Episcopos ditione spoliare, mouere ciues magistratu, virulentis libellis etiam in regum ac principum capita debacchari? *Quomodo neminem lædant.* Hæccine longè lateque discrepant à seditione? Neminem inquit occidimus. His nimirum habenda gratia, qui cesserũt, alioqui vidissemus cruentam pugnam. Nec piratæ quenquam occidunt, si nemo resistat. Hæc an nusquam fiant aliis relinquo iudicandum. Atroces certè multorum querimonias audimus

mus

mus quotidie. Non est Euangelica virtus neminem lædere, qui te non lædat, sed immane scelus est lædere innocuum. At maleficium beneficio repensare, id demũ est Euangelicum.

Num Catholici sint tuti inter hæreticos.

Nos, inquit, sinimus hostes nostros inter nos tutò viuere. An hoc vbique fiat dubito. Quos autem vocant hostes; omnes Catholicos? Quid magni faciunt? An non & ipsi quotidie veniunt ad alias vrbes, vel animi gratia, vel negotiandi causa? At idem non est tutum Ecclesiastis. Nec nostris Episcopis tutum est apud ipsos versari. Præterea nihil interesse censet inter damnatos & non damnatos? Nos certè nemo damnauit. Et tamen quot damnati ferũtur, ac dissimulantur apud nos? Quod si nulli læduntur, cur tam multi cesserunt è suis vrbibus? Cur apud Cæsarem querelarum plena sunt omnia? Licet illis, inquit, nobiscum viuere ciuium iure. Quàm verò suaue viuere cum illis, quos habent pro hæreticis, & illorum iugo præbere ceruicem. Qui, si persisterent in sua fide, quam putant esse syncerissimam, non sunt ignari, quem fauorem magistratus ac populi sint experturi: si quid secus, vt sunt res humanæ, accidat.

Mentiuntur Nouatores, quando dicũt, se neminem ad suam sectam cogere.

At non sumus, inquiunt, hæretici. Vt non sint, illis tamen persuasum est magnis autoribus; si errant cum tot Scholis, cum Pontifice, cum Cæsare. An hoc non est cogere, nisi audis nostras lectiones, nihil ex præbenda numerabitur? Ne quis proficiscatur tali die ad tale festũ, ne quis audiat missam, aut accipiat Eucharistiam in vicinis pagis, si fecerit, libra damnatus est. Nisi quis accesserit tempore Paschæ ad mensam Ecclesiastæ sumpturus panem & vinum pro Christo, exspectet senatus iudicium.

Exus-

Excussum est iugum humanarum constitutionum, sed vbi sunt, qui submiserunt ceruicem suaui iugo Domini? Et interim constitutiones humanæ constitutionibus humanis, imò parùm humanis mutantur. Titulus modò mutatus est: vocatur enim verbum Dei. cæterùm res adeò nihilo est mitior, vt complures boni viri, præferant vltroneum exilium isti magnificè decantatæ libertati. Atque adeò proceres quidam & antesignani istius factionis, cum nondum ad Episcoporum dignitatem, opes ac ditionem peruenerint, tamen eiusmodi specimen de se præbent, vt ego me malim in Episcoporum, quàm in horum potestatem tradere, si detur optio: malimq; Cæsaris potentissimi ferre iugum, quam quorundam magistratuum Euangelicorum, quamuis humili sorte: sic excutiunt iugum hominum, qui vestro Euangelio submittunt ceruicem.

Qualis sit à Nouatoribus tam magnificè decantata libertas.

Impotẽtia Prædicantium, & quorundam Neoeuangelicorum Magistratuum.

Magis vereor, ne plerique pro graui iugo hominum, portent grauius iugum diaboli. Excussa est obedientia Episcoporum, sed ita, vt ne profanis quidem magistratibus pareatur. Olim Christiani sub Ethnicis Principibus quietè viuebant, studiosè cauentes, ne quam seditionis occasionem darent, exhibentes honorem, cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributum cui tributum; hortabantur Christo initiatos, vt idololatris etiam magistratibus obtemperarent; pro illorum incolumitate quotidie Deum orabant. At iste populus tam Euangelicus, etiam Turcarum Principi dicitur detestabilis, quem ait seditioni natum. Quos subinde tu multus excitat? quoties quàm leuibus de causis procurrit ad arma? ne suis quidem Ecclesiastis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus, profligandi etiam, si liberius in vitam illorum inuehantur, aut ab opinione dissentiant. Initio

Quam Nouatores sint veteribus Christianis dissimiles.

Populus Neoeuangelicus seditioni natus.

Prædicantes suorum aures titillare coguntur, si audiri velint.

tantum non Deus erat illis Lutherus, nunc iisdem prorsus delirat, quòd nouum de Eucharistia dogma non recipiat. Nouam verò libertatem Euangelicam, impunè facere, sentireque, quod cuique libitum est, &c.

Quid Neoeuãgelici sub prætextu Euangelicæ libertatis quærant.

Erasmus Epist. lib. 21. ad Barbirium. Miserè metuo, ne res exeat in tumultum. Prætexitur Euangelica libertas, verùm non omnes eodem spectant. Sunt qui hoc fuco quærunt insanam licentiam seruiendi carnis affectibus. Sunt rursus, qui inuident opibus sacerdotum; & sunt, qui vt sua fortiter profundunt, vino, scortis & alea, ita rapinis inhiant aliorum. Sunt denique quorum res in eo statu sunt, vt tranquillitas illis tuta non sit.

Noua obedientiæ forma.

Quam Neoeuangelici sint à seditione alieni.

Epist. ad fratres Infer. Germ. Morigerantur omnibus Principibus, Episcopis & Magistratibus, quatenus licet illæsa pietate; sed quidquid ab ipsis non traditur, probaturue, lædit pietatem. Abhorrent ab omni tumultu & seditione sic, vt non alius magis; verum si nemo repugnet illorum instituto. Non agnoscunt eos, qui sub Euangelij titulo seruiunt ventri suo. Quàm multos hic commemorare possum, quos multi suspiciunt pro Coryphæis, non modò agnoscunt. Et quid prodigij, si sint in hoc numero, qui nepotes, ganeones & aleatores amplectuntur, cum sint qui eadem faciant?

Ibid. Aiunt se in hoc incumbere, vt omnibus fiant omnia, parati summa cum mansuetudine & modestia, reddere cuilibet poscenti, vitæ doctrinæque suæ rationem. Poterat aliquis hoc credere verum, nisi hic liber tam maledicus, tanta arte ad seditionem instructus reclamaret. Manifestæ vanitatis est & illud, quod ait multos hoc summis eniti viribus, vt ipsos exstinguant funditus, cùm hactenus tanta lenitate tolerentur à Cæsare, Principibus & Episcopis, quibus non erat difficile sic

istos

istos tractare, quemadmodum tractati sunt agricolæ tumultuantes; sed quidam Principum lenitate abutuntur, semper ad deteriora prouentes, & hoc, vt videtur, agẽtes, vt ipsi Principibus sint formidabiles, vtcunque iactant, se omni carnis præsidio destitutos, solo verbo, Christique præsidio fretos, veritatem prædicare.

Ibid. Cum in conuẽtu quodam (*Basilea*) senatus proponeret conditiones, quibus cum Catholicis transigeretur, quidam è turba voce tumultuosa clamauit; hoc nolumus, boni Domini, hoc nolumus. Qui adstitit, mihi narrauit, &c Cùm senatus toties edixisset, ne quis daret occasionem seditionis, quidam præcipuus Euangelij zelotes pulchrè potus à conuiuio nuptiali venit in summum templum, reperit Marium concionantem, à quo, cum nihil diceretur, quod ad sectam vllam pertineret: nam tum finiebat concionem; ille seditiosa voce succlamauit: Mentiris monache, vt te percutiat mala pestilentia. Hoc si quis Catholicus fecisset in Ecclesia diuersæ communionis, quod præmium retulisset? Quid supplicij de illo sumptum est? cessit in vicum aliquem ad triduum, & rediit. Audis clementiam Euangelicam. Si commissum fuisset à Catholico, de capite erat periclitandum. Similium exemplorum nullus est numerus. Quum ibidem timeretur seditio, multique ciuium coniecti essent in carcerem, quidam rigidus Euangelij satelles, vtinam nũc iuxta nomen suum, aliquid boni faciat, iussus est exulare. Post etiam Pharellus, ni properasset, ducendus in carcerem. Hæc nulli nõ notissima sunt, &c.

Basilea Anno 1529. populus armata manu à senatu extorsit, vt Missa & intra & extra vrbem aboleretur.

Exemplũ memorabile reuerentia ciuis erga magistratũ. Obserua Zuuinglianí spiritus modestiam & mansuetudinem.

Impunè tulit Zuuinglianus iste facinus suum.

Pharellus fuga sibi consulit.

Negat fuisse iactatum suffigendum in Crucem consulem, nisi clam fugisset, &c. Imò hoc ab armatis Euangelicis iactatum fuit in foro palàm. Qui audierunt, retulerunt. Et in illorum potestate erat tum etiam ipse senatus.

Seditiosi ciues Catholicum Consulem deposcebant ad furcam.

En pulchram rationem in-

troducendi Euangelium Zuuinglianū.

tus. Habebant bombardas in foro dispositas, illic incensa pyra pernoctabatur, donec extorsissent, quæ volebāt. An reuocatus sit consul, nescio: audio vita defunctum: atque hominem vergentis ætatis, ac valetudinarium ab vxore & ædibus depellere, quid aliud est, quàm occidere? Quem autem non terreret illa exceptio, nisi commiserit aliquid in Rempublicam. Atqui oppugnasse Euangelium, dixisse aliquid in hunc aut illum Ecclesiasten, fuisset contra rempublicam. Cæterum ij, qui dicuntur oppugnasse Euangelium, persuasum habent se oppugnasse sceleratam & impiam hæresim ei reipublicæ pestilentem, atque hoc nomine sibi deberi gratiam maximam. Ego nòn sic ago, tantum arbitror æquum esse, vt si sibi permittunt damnatam ab orbis Primatibus doctrinam tueri, veniam dent illis, qui eam doctrinam, quam verè Christianam esse, habent persuasum, non possunt illico deserere.

Quid sit apud Neoeuangelicos in Rempublicam delinquere.

Pro nobis, inquiens, stetit maior populi pars. * Et maxima populi pars in Christum clamauit, Crucifige: Et maior Episcoporum pars damnauit Athanasium. Nō statim melior, quæ maior. Quis autem dedit promiscuæ turbæ ius pronunciandi de articulis fidei? Sequebatur, inquient, iudicium * Ecclesiastarum. Alius responderet; sed eorum, quos Cæsar & Ecclesiæ Primates damnarunt hæreseos. Verùm, immeritò, aiunt. Qui vnquam hæretici non iactarunt se præter meritum damnatos? Nonne eadem fuit Donatistarum, Arianorum, & Manichæorum querimonia? Quid est, ait quidam, si hic non est afflatus spiritus? Quasi non idem probabilius dicere valeat Mahumetes?

* Sed populi furentis, & Euangelij Zuuingliani æstro perciti.


* Hoc est, Apostatarum, OEcolampadij, Pellicani, Pharelli, Zuuinglij, Carolstadij. Nullus hæreticus vnquam fassus est, se meritò iusteq́ damnatū esse.

Quales


Quales fructus Euangelium Christi proferat. Ex Eusebio lib. 3. de Demonstratione Euangelica, cap. VIII.

I de Discipulis (*Christi*) qualem præceptorem habuerint, vis cognoscere, habes hodie quoque innumerabiles verborum Iesu discipulos, ex quibus plurimi virorum conuentus existunt, qui tum contra naturales corporis voluptates quasi in acie consistant, tum mentem ab omni minus honesta perturbatione inuulneratam conseruent, qui cùm omnem suam vitam vsq; ad senectutem continentissimè egerint, institutionis quæ de verbis illius haberi soleat, certissima argumenta præstare possunt. Neque viri solùm sub illo duce, ad hunc modum philosophantur, sed feminarum quoq; tot millia per totum orbem, vt quàm multa sint, non dicendum esse videatur; quæ, quædam sacerdotes Deum Vniuersi colentes, supremãque Philosopiam amplexæ, atque amore cælestis sapientiæ captæ, prolis quidem ac liberorum, vtpote qui ad corpus pertineant, nullam habent rationem, animam verò omni diligentia curantes, totas se ipsas ipso corpore atque animo, regi omnium Vniuersique Deo dedicarunt, vt sic integra perpetuaque castitate ac virginitáte fungantur. Et Græci quidem eum, qui olim iactatione Philosophiæ, regionem suam ab hostibus depopulatam, atque vastatam reliquit, verbis huc atque illuc circumferunt, atque extollunt. Democritus hic est apud illos, & Crates vnus apud eosdem admiratione dignus putatur, quod re sua familiari ciuibus suis relicta, ipse seipsum Crates Cratetem in libertatem vindicasse iactauerit. At

enim verborum Iesu æmulatores innumerabiles, non autem vnus duntaxat, alterue, diuenditas possessiones pauperibus atque indigentibus impertiuerunt, quibus etiam nos testes adsumus, qui versati sumus cum talibus, quique factis, ne dum verbis eorum officiorum facti conscij, quæ illi in Iesu disciplina præstiterint. *Hæc Eusebius. Nunc quilibet, cui cor vel paululum sapit, circumspiciat, num Euangelium Lutheri, num Zuuinglij, num Caluini tales fructus proferat; & an non quiduis potius gignat, quàm eas segetes, quas Eusebius ab Euangelio Christi procreatas testatur.*



EXCER-



EXCERPTA
DE VITA ET MORIBVS LVTHERANORVM, EX GEORGII WICELII LIBELLO,

Qui inſcribitur, Retectio Lutheriſmi.

Excuſus Lipſiæ Anno 1538.

I.



Hic cum plurimos raræ pietatis Viros, tũ ipſos etiam ſectarios habeo ſuffragatores; qui ingenuè confitentur, vberiorem vitiorũ copiam nũquam extitiſſe, quam ab iis annis, quibus ſuccreuit Lutheriſmus. Vidimus eheu, vidimus Euangelij ad prodigium vſque iactati fructus. Faxit Optimus Maximus, ne plures id genus nobis iſtud pariat. Quidquid ſupererat laudatæ diſciplinæ, pudoris, reuerentiæ, conuerſationis inculpatæ, religionis, id penè omne profligauit iſtud Euangelion. Studium meliorum operum funditus exſtirpauit, Veterum ſcripta obliterauit, diſſidia ſeminauit, Principes in mutuum odium incendit, literaria Gymnaſia euertit per Germaniam, quæ nunc reparare nititur, incommodo quippe publico vellicatum, &c.

Nunquam vberior ſcelerũ meſſis, quàm poſt Lutheri Euangelion.

Euangelion Lutheri ſuſtulit ſtudium bonorum operum

Euertit literaria gymnaſia.

II. Hoc

II.

Nulla hæresis minus de vita bona sentit, quàm Lutherismus. Hæresis Lutherana viuit, vt docet, & docet, vt viuit; hoc est, flagitiosè. Paradoxa plus quam Stoica.

Hoc verissimum multò est, nullam vnquam hæresim minus de vita bona sensisse, atque Lutherismus sentit: nec vnquam in maiore contemptu, ne dicam odio, fuisse bona opera. Nam tametsi hæreses antiquæ malè viuerent, attamen secus docebant, Pharisæorum more. Nostra verò factio viuit, vt docet, docet vt viuit. Docēt bona opera, bonam conuersationem, laboriosam vitam coràm Deo nihil esse, ideo ab huiusmodi abstinent. Docent peccata neminem fidelium damnare, ideò liberè ac prælicenter peccant.

III.

Qualis vita Hæresiarcharum.

Eorundem studia & exercitamenta.

Sex opera misericordiæ ex Homero, quæ Hæresiarchæ exercent.

Manifesta est Archieuangelistarum luxuria atq; tyrannis. Ad summos euecti honores seculi huius sunt, & donis regiis amplisque prouentibus ditati. Vita horum planè mollis, planè splendida est. Curandæ horum cuticulæ nihil deesse omnium oportet. Sumptuosa hic & crebra conuiuia, nocturnæ potationes, choreæ, Musicæ deliciæ, & cætera, quæ scilicet Apostolos pauperis Christi, & restauratores Ecclesiæ decēt. Imò verò Epicuræos decent huiusmodi, non viros Apostolicos. Homerus, credo, vidit, qualem isti vitam viuant, cum ait: At semper cordi nobis epulæque, chorique, Cantusque & variæ vestes, & balnea calda, Concubitusque. Horum sex sunt. Cedunt iis sex opera misericordiæ. Per priora cognoscuntur Euangelici, at per posteriora illa Pharisæi.

IV.

Iam tutum est peccare per nouum Euangelium.

Peccare hoc tempore tutum est, & parit amicos. Benè operari cum periculo coniunctum, inuidiam Catholicis conciliat. Et vbi sunt, qui Papistas ob vitam carnalem tot modis proscindebant? Vbi sunt, qui Euangelicis præconibus frugalitatem quandam Pythagoricam decerne-

cernebant? Verùm ita oportuit incautis Germanis dare verba, donec inescarentur.

V.

Tyrannis eorum mirifica est in eos, qui nolunt omnia sua laudare. Eam verò exercent in suos parochos, ludimagistros, ciues, agricolas, si qui fortè statuam regis Babylonici non suppliciter adorent, & manum eius exosculentur. In cæteros à se dissentientes stilum duntaxat stringere possunt, sed hunc amarissimum & venenatissimum. Isto vnico vltionis genere vtuntur, & hoc vltra omnem modum.

Hæresiarchæ omnia sua laudari volunt: ni fiat, tyranni fiunt in omnes.

VI.

De illorum vxoribus quid attinet dicere, cum nemo nesciat, quanto cum scandalo istæ passim regnent? Quis ignorat detestãdum illarum fastum, sumptuosum, magnificumque cultum, immoderatum luxum? Quis ignorat auarissimas thesaurizare, captare munera, dare nihil? O hypereuangelica pleraque.

Vxores hæresiarcharum.

Quàm fastuosæ, & aliis probis dotibus instructæ.

VII.

Euangelistæ, Ecclesiastæ, Episcopi, Diaconi (nam hæc cognomina sibiipsis pro confesso vendicant) suos ferè archeuangelistas & Archiepiscopos imitantur. Cur enim malint veteres sanctos, quàm hosce suos æmulari? Hi iucundi ac suaues sunt sancti: illi verò duri, luctuosi, ieiuni. Illud obstat, quo minus totos æmulentur, quod tot muneribus ac redditibus non ditati sunt. Abundant re familiari tamen penè omnes, sed nullus est, qui dicat sibi sufficere. Nullus est, qui non consectetur voluptates, qui non ambiat fauores, & mensas potentum, qui non pecuniæ magis, quàm Theologiæ studeat.

Quales Hæresiarcharum discipuli.

I *VIII.* Vita

VIII.

Vita vulgi Euangelici.

Vita vulgi Euangelici adeo Euangelica non est, vt me millies, & iterum millies eius puduerit. Verè labruſcas pro vuis reperire eſt hac in vinea, & pro theſauro carbones. Huc venit, vt virum fidum vix vſpiam inuenire liceat, etiamſi lucernam Diogenis accendas. Sunt autem in Romana Eccleſia (quos illi pro Antichriſtianis habent) quibus fidere tutius poſſis,

Vix vir fidus inter Neoeuangelicos.

IX.

Nullus amor in turba Euangelica.

Quærenda pecunia primùm.

Amor nullus eſt in Euangelica turba. Nam nulla amoris argumenta comparent. Alter alterum ferè deuorat. Omnes ingenti quodam impetu feruntur modò ad quærendum victum, & ita inter eos feruent querelæ ac murmura, ac ſi vniuerſis pereundum inedia ſit. Qui aliquid habet, is eo fruitur: qui caret, careat, aut ipſe ſibi quoque paret. Omitto fraudes, & mirificas artes, quibus ſe mutuum depilant noſtri homines.

Quærunt primò victum; poſtea regnum Dei à Luthero oſtenſum.

X.

Hypocriſis Neoeuangelicorũ.

Nulla lingua valet aſſequi, quanta hypocriſis omnium mores, etiam amiciſſimorum occuparit, & quam omnia fœteant adulatione monſtroſa, adeò, vt citra hãc iam nemo euchi ad illam ſortem exoptatam queat. Vbi iam ſynceritas? vbi candor? vbi ſimplicitas? Inter cognatos etiam & affines ardent odia, verſantur omnia inuidiis. Maior fidelitas atque charitas inter pocula eſt. Sobrij ad ingenium redeunt. Tunc nimirum amici & fratres ab extra ſunt,

XI.

Inſignes noui Euangelij fructus.

Mendacia, lites, iudicia inter Euangelicos augeſcũt: & quia pax publica migrationem minatur, muniuntur ciuitates, cuduntur arma, aluntur milites, Cæſar contemnitur, Principes ridentur, Dorium canitur, & Euangelicè

gelicè se habent omnia. Eò crescunt conuitia, iræ, periuria, iurgia, vt ea etiam magistratus vetare cogatur. Neqꝫ enim Euangelio Euangelicus alioqui populus emolliri, aut emendari potest. Comessationes, crapulæ, ebrietates, lasciuiæ, turpiloquia, eutrapeliæ omnem excedunt modum in turba ista, idque adeò, vt pro peccatis hæc propemodum nemo ducat. Concionatores aliquando dicunt in ebrietates, ipsi sæpissimè ebrij. Dicunt in diffidentiam victus, ipsi semper queruli, semper mendici. Dicunt in mundum, cùm ipsissimi de mundo sint, tota illorum vita teste. Noctu perstrepunt per plateas amatoriæ cantiones, & inquietantur sobrij insanissimis ebriorum clamoribus, offenduntur pij lyris ac tympanis. Omnia impudica, lasciua, sodomitica. Diebus noctes solidas addunt potores, nec tamen exsatiari queunt. O non guttura hominum, sed barathra cacodæmonum execrabilia, ac septies maledicta. Auaritia incomparabilis est, & vires indies acquirit in ista temporum illiberalitate tenacitateque. Vestium immensam luxuriem vix terra fert. In memoria hominum tale nihil compertum est. Princeps mundi arcem suam in pace tenet. Ah nomen Christi quàm indignè, quam atrociter profanaris, quàm malè audis ob huiusmodi apud Turcas, qui nobis hisce in rebus longo interuallo anteferendi sunt.

Prædicantes damnant interdū pro concione, quod ipsi palam priuatimqꝫ agunt.

Nocturna vagationes.

Impudica cantiones.

Potationes continua.

Luxus immensus.

XII.

Prætereo adulteria, diuortia, susurra, murmura, cæteraque tenebrarum opera, quibus secta hæc decorata est, nō sine summo dolore bonorum, & exitio suo æterno. Quid? mare est vitiorum, quo circumfusa est secta; ego huius vix pauculas guttas attigi. Virtutes foras suis concionibus exegerunt & libellis. Constantia nulla, nisi in malo. Fortitudo nulla nisi in epotandis cyathis. Tem-

Adulteria, diuortia, & id genus alia.

Fortitudo Neoeuangelicorum in exsiccandis cyathis.

perantia nulla, nisi à bono. Iustitiæ satis habet, qui fidem habet; ideo nihil iniustum scilicet potest committere.

Mores Hæresiarcharum.

Idem VVicelius in Querela Euangelij: Dicam de iis, qui se plus, quam Euangelistas iactant. Volunt illi omnia, quæ ore perstrepunt, esse Euangelium; quod faciunt, esse Euangelicum; quod habent, esse Euangelij Et nihil vspiam sonant, nisi Euangelium: Quemadmodum olim templum Domini, templum Domini. Omnia Euangelij titulo quæ volunt, agunt. Sed malè sit mihi propitius Deus, nisi mera caro suaues illos viros Dei peruertat, si rem introspicias. Caro enim vt voto suo perfruatur, eadem opera iactat Euangelium, qua decretum. Caro caro est, & si angelica lingua mortuam scripturæ literam detonares. Carnem verò in multis principatum tenere eximiè Euangelistis apud vulgus, indicant fructus & opera eius.

Quidquid somniant, Euangelium est.

Vbiq; Euangelium crepant.

Interim mera sunt caro.

Vbi maior iactantia, quàm apud Hæresiarchas?

Vbi maior iactantia, fames gloriæ popularis, & blandior philautia? Vbi acrior contentio, dum suam quisq; sententiam tuetur? An non hoc in sophistis hactenus detestabamur? Nullus alteri cedit, cuique sua placent. Vide, vt vlciscantur ore, calamoque, si qua labes eorum nomini fuerit adspersa.

Vindictæ cupidi.

Laudari volunt, & quidem largiter. Ni feceris, capitale erit.

Vide quàm iniquè ferant, si eos parcius laudaueris, sique ab illis dissenseris, aut vbi vident suam operam nō plausibiliter accipi, & æquè probari ab omnibus.

Surgunt, & inflatis buccis concionantur de fiducia in Deum, etiam in iis, quæ corporis sunt, non solùm animæ. Benè quidem illi, sed nulli magis diffidunt Deo tam benigno Patri. Et nemo nescit, quàm interim sua quærant, plus cupiant, & palàm declarent, quàm sint φιλόδοξοι, ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας. Atque hoc non solùm meo dolore, verum etiam maximo Christiani populi scandalo.

Nulli magis Deo diffidunt, quàm Sectarij.

Concio-

Concionantur de subleuandis egenis, nouit Deus, quos ipsi subleuent, cùm id tamen possint. Palàm narratur, quàm ferueat eorum charitas scilicet. Faciunt, vt per vitam soliti sunt: nulla est hic transmutatio. *Valde subleuant egenos. Scilicet.*

De cruce ferenda mirum, quàm multa vbique inculcant, sed vtinam ipsi à cruce non abhorrerent. Crux multis in lingua, paucissimis super humeros. Credimus ad tempus omnes, in tempore tentationis retrocedimus. De temperantia & Apostolica frugalitate benè loquuntur aliqui: cæterum in propatulo est eorũ vita plus æquo splendida, hoc est, ex animi sui sententia. *Crucem habẽt in ore, at non in pectore, multò minus in humeris.* *Temperãtiam laudant in cathedra, sed non in mensa.*

Diuitiæ malè audiunt, verùm arriderent, [illegible]cent clam aliis. Honores captant vndecunque, gaudent vocari Rabbi, Doctores, Magistri, Euangelistæ, Prophetæ, Ecclesiastæ, & tantum non Christi. In congregationibus diligunt, quod nemo ignorat, πρωτοκαθεδρείαν. Sed hæc minutula ipsis videntur; habent autoritatem huiusmodi leuicula præterire, aut glossulis deflectere. De conuersatione illorum, quam sanctam, & immaculatam esse oportuit, & τύπον bonorum operum, restat mihi vel sola querela. Apostolos iactant & ipsum Christum. Sic, aiunt, Paulus fecit: Hoc accidit & Christo. Vbi verò æmulari illos durum videtur, nulla mentio neque Pauli, neque Christi. Quod si vrgeas, vt & alia imitentur, inueniunt commentum, quo elabantur. Quid igitur, nisi nescio quod rectorium? *Gaudent vocari Rabbi, & id genus aliis magnificis titulis.*

* * *



I 3 Idem

Idem VVicelius in Confutatione Responsionis Iusti Ionæ, excusa Lipsiæ, Anno 1533.



OLATI estis & erexistis conscientias in tantum, vt ferè nullæ vspiam sint. Amiserunt, eheu, gregales vestri cum conscientiis & metum Dei, & omnem pietatem, &c. Indignè ferebatis primùm angustas conscientias; at vos eas sat spatiosas, sat amplas reddidistis, vt nunc camelus per eas incedat, per quas antea vix penetrabat sciurus. Huc profecerunt vestræ consolationes & erectiones, vt indolentiam in multis peperisse videantur, & expunxisse conscientiam. Comperio esse de grege vestro, qui quoties admonentur conscientiæ suæ, nihil nisi cachinnantur. *Hæc VVicelius, olim Lutheranus Prædicans. Lege etiam, quæ de sanctitate Caluinistarum scribit Amandus Polanus Caluinista in cap. 9. Danielis, cuius luculentissimum testimonium descripsi ad calcem libri mei, qui* Bauius & Mæuius *inscribitur.*

Quàm arctas & angustas conscientias Lutherani habeant.

F I N I S.

Cum Facultate Superiorum.

Errata.

P*Ag.*5.*Vers.*12.*incestis*.13.20.*Veluti*. 18.10.*in marg.imaginum*.20.5.*in margine lege, conscientias. Liberarunt, &c.* 27.8.*in marg.casus*. 28.13.*turbulentis*.29.7.*erronibus*.30.18.*in marg.Luthero*.32.1.*figere*.33.9.*contra*.36.17.*in marg.festo.*

